



379.

1684
9
4
80

Q. D. B. V.

DISSERTATIO JURIDICA

DE APANAGIO,

Quam

Indultu & permisso inclytæ Facultatis

Juridicæ VVittenbergensis,

SUB PRÆSIDIO

VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI, AM-

PLISSIMI, & CONSULTISSIMI,

DN. WERNERI THEO- DORI MARTINI,

Juri & Antecessoris in Almâ Leucoreâ longe Celeberrimi, Consilarii Electoris Saxonæ, Curia Provincialis, Consistorii Ecclesiastici, Scabinatus & Juridicæ Facultatis, nec non Judicii Ducalis, quod in Marchionatu Lusatiæ inferioris est, Assessoris Gravisimi &c.

DOMINI, ac PATRONI SUI HONORATISSIMI,

Examini publico proponit

AUCTOR

Johannes Gebhardt Stiehl

IN AUDITORIO JCTORUM

Ad D. 22. Martii 1684.



WITTENBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.



ILLUSTRI ac GENEROSISSIMO

DOMINO,

DN. Heinrich Gebhardi
à Miltitz/

Toparchæ in Burckersdorff/Schonbach/Rugis-
walde/Zehist/Langenheinersdorff/Stösis/
Gavernitz und Konstapel/

SERENISS. ac POTENTISS. ELECT. SAXON.

Confiliario Intimo & Cancellario

Splendidissimo,

æcenati atq; Patrono suo omni ob-
servantiæ cultu æternùm Devenerando

Disertationem banc Academicam,

In signum debitæ observantiæ,

Dicat atq; consecrat

Hans Gebhardt Stiehl.



PROOEMIUM.

Veteri jam Turcarum more receptū
erat, ut, qui ex Ottomannorum Im-
peratorum prosapia succederent im-
perio, reliquos fratres interficerent,
ne aut alimenta ipsis præbere cog-
rentur, sine quibus minus dignam ipsorum gen-
te vitam possent degere, aut ne imperii cupidita-
te adductis ultro genitis de Primogenitorum exi-
tio cogitandi ulla supereset facultas. Quæ con-
suetudo, quo magis impia est, & legi divine hu-
manæq; contraria, eo majori detestatione piis
omnibus fugienda erit. Ad posteriorem enim
quod attinet causam, non sunt facienda mala, ut
inde eveniant bona, præcipue cum restali in fa-
cto versetur in meris, iisque malignis cogitationi-
bus, contra omnia jura præconceptis, quæ nemi-
nem præsumunt malum: Prior vero in ipsum
amorem naturaliter insitum & sanguinis
A 2 jura

jura impingere videtur. Quapropter cultiores
gentes temeritate hac neglectâ, in familiis illustri-
bus merito aliud excogitaverunt remedium, quo
Et Primogeniti prerogativam illibatam conser-
vare, Et simul ad ultro genitorum rationes respi-
cere laboraverunt. Nempe voluerunt, ut ille
inter alia haberet facultatem retinendi sibi bona,
quæ familiae splendorem conservent, Et reliquis
portionem quandam familiae dignitati sufficien-
tem exhiberet, Et hoc ipsum institutum A pana-
gium appellatur, quo simul Et æquitatis, Et di-
gnitatis, quâ talis familia gaudet, habetur ratio.
Cum enim magna quævis frequentiori divisio-
ne ad pauca redigantur, Et sic non saltem splen-
dor, sed Et potentia familiae labefactetur, è re esse
visum est, ut uni, quem Natura ipsa aliis prætul-
lit, summa rerum administratio committeretur,
Et ceteris alio modo satisfaceret. Et quoniam res
ipsa digna omnino videtur, quæ curatius paulo
pensitetur, ideò animus est, in eâ primum animi
periclitari vires. Conatum autem Divinum
sublevet Numen!

CAPUT I.

De Apanagii Natura & Consti-
tutione.

§. I.



Vemadmodum qui accuratam fluminis
cujusdam comparare sibi volunt noti-
tiam, non satis esse ducunt, situm ejus,
altitudinem, latitudinemq; habere co-
gnitam, nisi & ipsum fontem, ex quo sca-
teat atq; promanet, cognitum habeant:

*Apanagii
orige.*

Ita recte qui de re aliquâ differere susci-
piunt, in ejusdem inquirere videntur originē, ut rem à suo,
quod decet, incipiant principio. *arg L. 1. pr. de O. J.* Horum
ductum sequentes nō male faciemus, si quid de Apanagii ori-
gine apponamus. Longis autem ab hinc temporibus, etiam
in Republica Hebræorum hunc servatum morem legimus,
ut Primogenito hereditatem universam, reliquis vero fra-
tribus pecuniam certam attribuerent. *Vid. Hieronym. ad C.*
49. Gen. Cyrum quoque Cambyfi primo filio regnum, Ta-
nazaridi aliud reliquisse, Xenophon memoriæ prodidit.

§. II. Ipsa tamen vox Apanagii, aut potius ejusdem or-
tus Balduino, Flandriæ comiti, adscribitur, qui occupatâ
Constantinopoli, Imperator ibi factus, præfectis militiæ fi-
delissimis certas in Græcia regiones, tanquam Apanagium,
als eine Ergözung ihrer Treueleisteten Dienste/ attri-
buit. Hinc factum est, ut postea Apanagii vox cunctis largi-
tionibus communis fieret, donec tandem ad familias il-
lustres restringeretur, & eam denotaret alimentacionem,
quæ ultrogenitis ad sustentationem porrigitur, quo in sensu
& nos eandem hoc loco accipimus.

A 3

§. III. Cir-

Apanagium
unde dica-
tur?

§. III. Circa ipsam vero Apanagii derivationem varia eruditorum extant sententia, quas collectas videre licet apud *Springsfeld. c. 1. n. 13. seqq.* Crambem etenim bis coctam apponere hic animus non est. Ex omnibus tamen, si ad rei originem spectamus, placet illa, quæ Apanagium à pane deducunt, siquidem supradictus Balduinus dedit Apanagium, non ut excluderet ab hereditate paterna, sed ut alimonia præberet. Licet itaq; res ipsa hodie mutata paulo sit, nomen tamen, uti sæpius fieri solet, remansit: quod utut latinum non sit, usu tamen receptum est, ac significat nobis, *Eine Fürstliche Absfindung.*

Apanagium
quid?

§. IV. Sicuti autem circa derivationem Apanagii discrepantes sunt multorum sententia, ita vario itidem definiendi illud utuntur modo, uti cum nausea forte videre licet apud supradictum *Springsfeldium c. 1. n. 40. seqq.* Nobis tamen ita definiiri posse videtur, quod sit *Assignatio alimontorum provisionalis, à Primogenito facta Postgenitis, in æquitate fundata, lege consuetudine aut conventionem roborata & ad splendorem familia conservandam instituta.*

Apanagium
quotuplex?

§. V. Hanc definitionem generalius paulo ideo concipere voluimus, ut varia Apanagiorum genera, quæ communiter traduntur, comprehendere possit. Aliud enim Apanagium (1) *Proprium* est, aliud *Improprium*; prius strictam semper, ex Jure Primogenituræ promanantem naturam retinet: posterius ab illâ natura strictâ recedit, prout sunt pacta conventa, ob quam rationem alias *Conventionale* quoque dicitur, & priori *legalis* nomen relinquit. Extans *Improprii* Exemplum est *die Mut schierung*/ quasi *Mutierung*/ quo vel Senior, vel duo simul, vel omnes alternatim regimen gerunt, nomine tamen omnium, licet subscriptio, si quidem necessaria est, à Seniore facta sufficiat. Quamquam non negandum sit, plurimas talem mutationem fovere

Die Mut-
schierung
quid?

vere incommoditates, ex quibus nonnullas adducit *Springsfeld. c. 2. n. 14. seqq.* (2) Aliud est *Apanagium Reale*, aliud *Personale*, quorum illud hereditarium est, & ad heredes (sumto heredis vocabulo strictius, ut ad solos masculos heredes regulariter extendatur. *Vid. Springsfeld. c. 2. n. 37. seqq. Struv. in Synt. J. F. c. 9. §. 8. n. 12.*) transit, hoc apud unicum tantum manet, nec in heredes transmittitur.

§. VI. Ut autem naturam *Apanagii* nostri eo melius cognitam habeamus, definitionem datam fusius examinabimus. Generis loco posuimus alimentorum assignationem, quæ dat Materiam *Apanagii*. Ubi observa, quod alimentorum appellatio sit paulo latior, & contineat omne illud, quod pro dignitate *Apanagiati* ad sustentationem sufficiat, *L. 6. §. ult. de alim. leg.* etiam studiorum sumtus; *Non obst. L. 6. §. 7. d. t.* Cæterum ipsa alimentatio non porrigitur ex propriis *Primogeniti* bonis, neq; fiscalibus, neq; publicis, privatisvè, sed, si adsunt, ex bonis *Domanialibus* *von den Cammer-oder Taffel Büthern*/quæ à bonis *Principis Patrimonialibus* ac *fiscalibus* valde differunt: nam illa ad principem spectant, tanquam propria substantia *L. 3. §. 1. C. de quadr. præs.* hæc vero ad fulciendam ejusdem dignitatem faciunt *L. 3. C. eod. L. 2. §. 2. ne quid in loc. publ.* cum *Domanialia* ad annonam *Majestati regie* convenientem sint constituta, ac propterea regni magis ac *Coronæ* propria sint, quam *Regis*. Siquidem proprietates eorum populi esse intelligitur, & *regis Imperantis* tanquam usus fructus: non aliter paulo ac dos dicitur in bonis mariti esse, cum tamen sit uxoris proprietates *L. 75. de jur. dot. l. 30. C. eod.* Hinc etiam est, quod talia bona neq; hypothecæ dari, neq; regulariter alienari (uti nec ipsum regnum ac *Principatus*, ex *Lege regni non dividendi*) ab *Imperante* irrevocabiliter queant *vid. Springsf. c. 7. n. 70. Non obst. L. 135. §. 3. de V. O. L. 61. de pact.*

*Alimento-
rum appella-
tio quousq;
pateat?*

*Domanalia
quid, & quo-
modo à fisca-
libus vel prin-
cipis bonis
differant?*

sm

An Apana-
gium debeat
tur in Regnis
Electivis?

cui alias licet falsò reclamare putant L. ult. C. de rebus alien.
non alien. L. ult. C. de pact. Inter emt. & vendit. L. 7. §. ult. de
distract. pignor. vid. Pac. ad d. L. 61. de pact. Neq; attendi-
tur h. l. utrum regna sint Electiva an Hereditaria. Nam
quanquam in regnis Electivis reliquis fratribus de Apana-
gio prospicere non obstrictus sit Primogenitus, cum cessan-
te jure petendi legitimam, cui Apanagium assimilatur, hæc
quoq; cesset obligatio: tamen in pluribus regnis hæc con-
suetudo recepta est, ut & Principes electi fratribus Apana-
gia suppeditent, ultra quam consuetudinem neq; hæc ex-
tensa volumus. Cæterùm qua ratione Domanialia, si forte
diminuta sint, nec Apanagia amplius ferre possint, reparari
queant, docet prolixè *suprad. Springsfeld. d. c. 7. n. 37. seqq.*
Quanquam interdum ibi ex nondum concessis differere vi-
detur: nam revocari posse domanialia alienata, & sic ad
priorem statum redigi suffragiis Politicorum roboratum
est. *vid. Brunnem. cons. 1.*

Apanagium
quantum esse
debeat?

§. VII. Differentiam desumimus (1) à forma; dixi-
mus enim esse alimentationem provisionalem, quæ appel-
latio satis indicat, fieri eam non per *Divisionis*, sed *Provisio-*
nis modum. Hujus autem provisionis quantitas, quacunq;
tandem in re consistat, vel incerta est, quæ ex solo Primoge-
niti pendet arbitrio, vel certa, quæ certâ aliqua regni lege,
vel ex arbitratu boni viri, vel paterno testamento, aut deni-
que pacto inter fratres constituitur. Illa tamen prior ita de-
bet esse regulata, ne dignitas ultrogenitorum insuper ha-
beatur, aut vitæ parum honestæ gerendæ occasio præbea-
tur. Posterior autem si modum excedit, nimiaq; est, à Pri-
mogenito potest imminui. Cæterum ubi quantitas certa
definita est, ibi provocans ad legitimam non admittitur,
quanquam ea consuetam portionem in se non habeat. Ne-
que est cur dicas, deberi legitimam ex ipsa naturali æqvita-
te,

te, & sic nemini sine sufficienti causa denegari posse. Etenim distinguendum hic est inter ipsam legitimam, & determinationem ejus: illa, non hæc juris naturalis est, quæ quoniam per provisionem talem determinatur, ideo cessat omnis dubitandi ratio. Sed quæritur an, si forte minus tenue putetur Apanagium, ad augendum illud Primogeniti armis possint cogi? Quod negandum esse arbitramur, quoniam qui utitur suo jure, uti hoc loco Primogenitus, nemini infert injuriam, ac proinde impediri in eo non debet, per talem violentiam. Sicubi tamen Apanagium verè insufficientis est, & regnum plus exhibere potest, per legitima remedia hoc erit obtinendum. Et licet exemplis quibusdam, accidisse illud, probari posset, non tamen de jure, sed de facto illa testantur. Sic enim Henricum III. Regem Gallia ad augendum Apanagium à Duce Alenonio bello lacesitum fuisse *Thuanus Lib. 62. Histor.* refert. Deinde per eandem appellationem indigitatur differentia illa, quæ intercedit inter *Apanagium* & *Paragium*: hoc enim non per modum *Provisionis*, sed *Divisionis* constituitur, in quo fratres Ultrogeniti trientem ut plurimum bonorum absq; obligatione fidelitatis (si intra sextum gradum sunt constituti) Primogenito præstandâ, domini jure tenent. Interim non negamus habere Paragium cum Apanagio affinitatem quandam, quam, uti & aliorum quædantenus similia adducit *Springsfeld. c. 12.*

*Apanagium
& Paragium
differunt?*

§. VIII. (2) Differentia in definitione nostrâ desumpta est à causa Efficiente remota, quæ consistit in jure primogenituræ, quod lege Regni, testatoris dispositione justè conceptâ, statuto à superiori & iis, quorum interest confirmatô, aut alio modo legitimo inducitur ac roboratur. Unde autem hoc Jus Primogenituræ fundamentum habeat, & quâ justitiâ reliqui fratres in illò teneantur acquiescere, de eò mirum

*Apanagii
causa remota
est Jus Pri-
mogenituræ.*

B

in mo-

in modum disceptant Moralis Philosophiæ scriptores, atq;
alii allegant Jus Naturæ, alii summum constituens quærent
in Jure Gentium, alii aliam producant rationem, ita, ut le-
ctis plerorumq; sententiis vix videre possis, quid sibi tan-
dem velint. Nos putamus, quod hæc prærogativa Primo-
geniti ab ipsâ Naturâ quadantenus videatur innata: Si qui-
dem plerumq; tenerrimus Parentum affectus primam sui
propaginem impensius adamat, quod & in brutis fieri ob-
servant multi; sive quod conjunctiores sibi invicem sint,
(unde Astrologi ex eorum nativitate eventus & facta paren-
tum judicant,) sive quod primus parentis filius virtutis pa-
ternæ habeatur principium. Unde etiam referunt Medici,
quod primitiæ herbarum penetrantiores multo in se con-
tineant efficaciam, quam post crescentes. Imo & ipse DEUS
in lege veteris fœderis ob integritatem primitias sibi ubiq;
ferè efflagitabat. Equidem non diffitemur, quod hæc ratio
per se non sufficiat ad inferendam regnandi prærogativam,
quandoquidem contingere potest, ut parentes novissimè
genitos majori prosequantur charitate, quam alios: inte-
rim tamen potuit esse causa movens, ob quam tale jus con-
sensu applausuq; populi fuerit stabilitum. Primogenitu-
ram autem dum appellamus, sejungimus simul *Majora-*
tum in specie talem, in quò non præcisè Primogenitura,
sed ætatis prærogativa attenditur, ita, ut qui post
mortem possessoris ætate major est, ad successionem
vocetur (rejecto repræsentationis Jure, *Knipsch. de fidei-*
comm. famil. Nob. cap. 6. n. 268. Non obst. A. B. c. 7. verb. sta-
tuimus &c.) & reliquis justam alimentationem exhibere
teneatur. Quamvis simpliciter non concedamus, quod
ubi primogenituræ jus viget, ibi etiam Apanagium induca-
tur. Longè alia ratio est juris Primogenituræ, secundum
quod nõ hereditario, sed generis & sanguinis jure in Regno
succeditur. Magnum enim inter hæc duo est discrimen;
Si qui

Majoratus.

Si quidem quæ jure hereditariò deferuntur, parentis dispositioni subjacent, minime verò quæ jure sanguinis, cujus observantia in Feudis sæpius usu venit. Dicas: Sed quid, si in ancipiti est, quisnam ex pluribus sit Primogenitus, forte ubi nascuntur gemini, quales Romulus ac Remus leguntur fuisse *Liv. Lib. 1. c. 1.* nec non Esavus & Jacobus *Gen. 25.* aut excisò uterò maternò in lucem veniunt? Rs. tunc priori casu is est Primogenitus, qui primus ex utero prodiit, cum per rerum naturam duo simul nasci non possint, posteriori verò sorte, paternò affectu, aut aliò æquò modò lis est dirimenda. Cæterum Primogenitum, quem hic præferimus, non intelligimus quemvis, sed (1) ex legitimò matrimonio progenitum, *arg. 2. F. 26. §. Naturales arg. N. 89. c. 15.* reliqui enim non sequuntur Patris familiam *c. ult. caus. 32. q. 4.* ac proinde ejus prærogativa gaudere non possunt. Huc tamen pertinet legitimatus per subsequens matrimonium, cui omnia legitimorum jura tribuuntur per *N. 12. c. ult. N. 74. c. 1. 2. Gail. 2. obs. 141. Carpz. p. 3. c. 28. def. 10.* Non autem legitimatus per rescriptum Principis, *d. 2. F. 26 §. Naturales.* ne aliis fiat præjudicium, aut jus quæsitum auferatur. Contra *L. 2. §. 7. C. de prec. imper. off. L. 11. de R. J.* Item nec Adoptivus, *arg. 2. F. 26. §. Adoptivus & c.* (2) Masculum; non obstat *L. 1. de V. S.* Cessat enim in Fœmellis causa finalis, per *L. 195. §. ult. eod.* (3) Non mutum & surdum ab initio talem, quia Primogenitura administrationem & regalem h. l. dignitatem annexam habet, quæ vitia talia ferre nequit. Ergo Primogenitus hoc in passu pro mortuo habebitur, licet cæteroquin ex familiâ pro dignitate sustentandus sit *arg. 1. F. 6. §. ult. A. B. c. 24. in f.* Neque movet, quod aliàs vitia hæc à successione non excludant *L. 1. ff. de Bon. Poss. infant. vel furi. comp. L. ult. §. tali C. de curat. fur.* Quia h. l. non nuda successio, sed, uti dictum, ardua regiminis administratio attendenda est.

Cæterum infamiam juris aut facti hic nihil ob stare cen-
 semus: non obstante [a] quod alias infames ad dignitates non
 adscendant *L. 2. C. de dignit. 12. L. 1. C. de Infam. 10.* Nam par-
 tim negatur, quod primogenitura fundata sit præcisè in di-
 gnitate, partim vero sciendum est, quod dignitas hoc loco
 non principaliter & primariò, sed saltem accidentaliter &
 secundariò spectetur, & propterea in censum hic non veni-
 at. *Vid. Bart. ad L. 1. C. de secund. nupt. (b)* Quod ob infami-
 am denegetur feudi successio, & auferatur quoque feudum
 jam acquisitum *2. F. 37.* Quia à Feudo ad nostrum jus male
 fit argumentatio: etenim infamis propterea feudum habe-
 re nequit, quod honestè in curiâ domini stare non possit *2. F.*
37. quæ ratio vero in Primogenito cessat, qui in familia illu-
 striori constitutus, Seniore inter dum non recognoscit.
 Ubi a. Primogenitus simul Vasallus est, tunc si dicas, succes-
 sorem legitimum eum in nostro casu non posse esse, nihil
 falsi, opinor, dices, per *d. 2. F. 37.* Cæterum si fortè Primoge-
 nitus noster moriatur, nullis relictis liberis, tunc fratrem, si
 adest, patrum excludere arbitramur, eò quod in iis succes-
 sionibus, in quibus familiæ habetur ratio, ordinarius ab in-
 testato succedendi modus observetur, *L. 32. §. ult. L. 69. §. 3. de*
Legat. 2. qui autem observat proximitatem gradus, ratione
 ultimi morientis *L. 2. §. 4. & 6. de suis & legit. heredibus.* Et
 hinc ob evitandas controversias videtur posse talem viven-
 te adhuc primogenitò desiderare, ut successor declaretur
 post mortem hujus futurus per *L. 3. C. qui bon. ced. poss. Non*
obst. L. 35. de judic. L. 45. §. 1. de Legat. 2. L. 11. §. 5. de recept. junct.
L. ult. §. 3. C. commun. de legat.

*Apanagium
 fundatur in
 naturali
 equitate.*

§. IX. Porro (3) differentiam continuat Subjectum
 Apanagii, quod sunt Principes postgeniti, de quibus proli-
 xius differendi in cap. seq. nobis dabitur occasio. (4) Causa
 impulsiva, quæ est æquitas naturalis, quæ Primogenitus obli-
 gatur

gatur Postgenitis. Nam arcere alios ab omnibus honoribus
ac Imperiis, quos tamen non nisi posterior natiuitas sejun-
git, Turcarum est *vid. Bodin. de Republ. lib. 6. c. 5. occidere eos,*
diabolica iudicatur scævitia. *vid. Springsf. c. 4. n. 2. seqq.* Stra-
cismo, aut relegatione eos dimittere, barbariem sapit: mo-
nachismo mancipare, servitutis habet analogiam, Princi-
pum dignitati contrariantem, nisi forte in monasteriò ejus-
modi obtineatur munus, quod Principalem dignitatem ha-
bet annexam, utputa Prælatura, ad quam Apanagiatos ad-
missos sæpe esse, testatur *Springsf. ib. n. 24. seqq.* His ergo re-
jectis innatus invadet amor, ut fratrum per provisionis
modum melior habeatur ratio. Et licet nulla forte adfit lex
vel consuetudo, quæ hujus rei facit mentionem, urget ta-
men eandem fraterna obligatio, *arg. L. 1. §. 6. ff. de Tut. &*
rat. distr. Neque movet hic, quod alias Jus Civile liberos
ad successionem paternam æqualiter vocet *L. 11. 21. C. fam.*
bercis. L. 32. ff. eod. L. 3. C. commun. utriusq. jud. N. 118. c. 3.
in fin. & quod talis vocatio etiam in ipso jure naturali fun-
damentum habere dici possit per *L. 4. C. commun. divid.*
junct. L. 6. de J. & J. Unde Baldus alicubi notat, quod o-
mnia statuta, quæ inæqualiter liberos admittunt ad succes-
sionem, sint contra jus commune, & contra naturalem æ-
quitatem, *vid. d. A. in L. 50. C. de Episc. & Cler. Conf. Auth.*
In successionem C. de suis & legit. hered. Multo minus quic-
quam facit, quod inæqualitas talis inter fratres invidiam,
ac odium interdum immortale parere soleat, uti de filiis
Jacobi sacra testatur scriptura. Nam talia ac similia, quæ
Fernand. Vasqv. *Lib. 1. c. 8. illust. controuv.* contra inæqua-
lem successionem urget, sunt intelligenda partim de casu du-
bio, & quoad divisionem inæqualem incertò, in quò hic
versamur (præsupponimus enim jus hæctenus consuetum)
partim

partim de rei abusu, quem & nos semper segregamus, salvo manente usu.

Apanagia faciunt ad conservationem splendoris familiarum.

§. 10. Differentia in definitione nostra est desumpta (5) à Causa Efficiente proxima, quæ lex est, vel consuetudo, in Apanagio proprio, vel etiam conventio in Improprio. Ultima demum differentia in datâ definitione desumpta est (6) à Causa finali, quæ est conservatio splendoris, quod familiarum, præcipue illustres opus habent. Publicè autem interest, ut illæ in flore ac splendore conserventur *L. 1. §. 13. de Ventre inspic.* Quâ ratione moti etiam veteres Romani ad solos masculos devolvebant hereditatem *l. c. 7. de Legit. agnat success.* exclusis foeminis, quæ familiarum finis sunt *L. 195. §. ult. L. 196. §. 1. de V. S.* Imo ipsum jus divinum masculos foemellis ob eandem rationem præferebat olim *Num. 27. v. 3. seqq.* Et huc pertinet *2. F. 8. §. 11. it. 2. F. 55. §. firmiter & c.* Et hæc causa in familiis præcipue illustribus locum habet, quæ instar corporis sphericæ sunt, quod divisione sui destructionem inducit. Certum est enim sapiori factâ divisione adeo attenuari Regna, atque imminui, ut præter nomen nihil maneat reliquum principibus, & sic generis claritati multum detraheretur. Eâque de causâ pleræque gentes Primogeniti habuere rationem, uti de Ægyptiis, Moabitis, Albanis, Græcis, Atheniensibus, Macedonibus, Trojanis, Persis, Syris, Parthis & aliis testatur *Tiracvellus de jur. primogen. præfat n. 21. & seqq. Limn. J. P. lib. 4. c. 8. n. 107. 121.* De Anglis & Hispanis constat idem. Imo in sacris ipsis hujus rei fundamenta legi possunt 2.

Paral. 21. v. 2. & 3. confer. Reinking. de R. S. §.

E. L. 1. Class. 4. c. 17.

CAP.

CAPUT II.
DE
APANAGIATIS.

§. I.

Considerationem Apanagiatorum in specie præsentis re-
servavimus capiti, cum adsint plurima, quæ curatum
examen mereri videantur. Esse autem Apanagiatos Principes *Principes
quinam?*
postgenitos, ex familiis illustribus ortos, in præcedentibus
asseruimus. Ubi statim inquirendum est, quinam h. l. Princi-
pis appellatione veniant, cum constet, quod alias hoc voca-
bulum tam latè pateat, ut omnes, qui in territoriò suò sum-
mi existunt, complectatur. Et videri poterat, multo strictius
istam appellationem accipiendam hinc esse, & ne quidem
status Imperii, aliosq; Principes contineri, eò quod in capite
præcedenti dictum sit, Apanagium è bonis domanialibus
præstari, qualia autem non nisi in regnis, v. g. Gallia & simili-
bus esse, non nulli statuunt. Verum positò hoc, assertum ta-
men nostrum erit restringendum ad tales familias, in qui-
bus Domanialia sufficientia adsunt, quibus deficientibus
aliunde quærendam esse ultrogenitorum alimentationem,
sana dictitare videtur ratio. Ergo Principes h. l. intelligendi
erunt omnes, qui in familia illustriori constituti ad conser-
vandam familiæ dignitatem juri Primogenituræ cedere ne-
cesse habent. Et ut in specie ad Imperii nostri Status devenia-
mus, non desunt exempla, quibus Apanagium usitatum in *Apanagiatum
an sint in Im-
perio nostro?*
eò multis ab hinc jam temporibus fuisse, confirmari possit.
Domus Austriaca hoc jus servavit ex decreto Friderici I.
Barbarossæ, ex confirmatione Friderici II. ex approbatione
Carol. V. R. J. de Anno 1525. Quamvis nonnunquam reces-
sum fuisse in hac familiâ à communi placito non negem.
*Conf. Knipsch. de fideic. fam. nob. c. 6. n. 287. Limn. de J. P. lib. 4.
c. 8.*

c. 8. n. 114. In Ducatu Bavarico viguit hoc jus ex dispositione Albrechti. *Knipschild. ibid. n. 286.* Ducatus Würtembergensis hac Apanagii lege investitur à Cæsare *Springsf. c. 3. n. 58.* de Ducatu Brunsvicensi, testatur *Betsius de pact. famil. illustr. c. 9. p. 531.* De Slesvicensi *Cranzius lib. 7. Histor. Dan. c. 41.* Et sic quoque in comitatibus atque Baronatibus, omnibusque Feudis Regalibus ac majoribus, & ubicunque consuetudo hæc recepta est, talis succedendi modus observari potest: uti & apud alias gentes servari eum sub finem cap. 1. diximus.

*Electo-
ratus
cur dividen-
di non sint?*

§ II. Præcipue autem introductum hoc est jus in Electoratibus, ut dividi penitus non possint, *A. B. c. 7. § in Proöm. vers. Sane cum & c.* idque ob evitandas incommoditates, quæ cum familias illustres, tum ipsum etiam Imperium non parum affligere potuissent. Illæ enim si frequentioribus divisionibus provincias suas imminuissent, splendori familiæ non detraxissent solum, sed & dissensionibus locum maximè reliquissent. Uti hac ratione multa Dominia olim satis potentia ad statum modicum redacta esse, testatur *Rumel. ad A. B. p. 3. d. 5. tb. 2.* Non dicam de bellis hæc de re excitatis, quæ Germaniam nostram miserum in modum agitavere. Discordiæ enim illæ debilitatis intestinæ cladibus principum viribus, ad diripiendos Principatus externos invitabant, quibus, si unitis contendissent viribus, facile pares fuissent, cum ob dissensiones, ortas ex divisionibus, neminum quidem adversariorum impetum sustinere poterint. Nec minus incommodum Imperio Romano inde metuendum erat, cujus status exterior sæpioribus hisce divisionibus in aliam plane formam fuisset mutatus: singuli namque heredum Electoralium, assumpto cum portione Electorali titulo, votum etiam in Electione Romani Regis habere cupiebant, quò, aucto Electorum numero, facile novitas in Imperio introduci poterat. *Conf. Rumel. ad A. B. d. l.*

*Electo-
ratus
cur dividen-
di non sint?*

d. l. *Arum. ad A. B. disc. 6. §. 33.* His itaque malis, quæ
procul dubio Germaniam aut evertissent plane, aut certe
corrupissent, *Conring. de neg. conv. Imp. exerc. 8. n. 35.* ut ire-
tur obviam, septemviratus, qui jam antea in Electione Cæ-
saris observabatur, consensu ordinum lege publicâ à Caro-
lo IV. firmatus est, introductio simul apud Electores primo-
genitura jure, quò sublatâ divisione, præter Primogenitum,
qui solus Septemviri nomen dignitatemq; obtinere debet,
reliqui omnes à successione in Electoratu excluduntur:
quod sicut ad conservationem splendoris familiarum ma-
ximè spectat, ita haud parùm etiam Imperio Romano
conducit. Cum enim Electores imperii partem, & præcipua
ejusdem membra atq; columnas constituent, illorum auctâ
Majestate, hujus quoque major redditur, quæ quia in parti-
bus exiguis non adeò commodè potest consistere, ideò hoc
jus abolitâ divisione, receptum est. Cum verò Electorum
in numerò Rex Bohemiæ quoque habeatur, dicendum vi-
debat, quod hoc succedendi jus apud eum etiam observa-
ri deberet: quia tamen ille in *A. B. c. 7.* expressè excipitur,
ideòq; nihil impedire poterit, quo minus consuetudo in
Regno ipsius recepta, in posterum ulterius & semper obser-
vetur. Cæterum quoniam his præsuppositis, extra con-
troversiam est, Electoratus non posse dividi, oppidò seque-
tur, divisionem ab Antecessore factam, posse, quoad res alie-
nari aut dividi prohibitas, annihilari per successorem, & re-
vocari, cum quod contra LL. factum est, ipso jure nullum
sit *L. 5. C. de LL.* Sed quid de aliis Principatibus dicendum
erit, annon & illi in nostrò Imperio æquè ac Electoratus di-
visionem respuunt? Sunt qui affirmant, sunt itidem, qui ne-
gant: inter affirmantes etiam est *Rumelinus ad A. B. diff. 6.*
Corol. 1. qui pro suâ sententiâ adducit, *2. F. 55. §. A. B. tit. 24.*
§. ult. it. Limnaus de J. P. lib. 3. c. 7. n. 69. Negantium autem
C par-

*Res prohibi-
ta alienari
possunt re-
vocari.*

partes sustinent *Bets. de pact. Famil. illustr. aeq̄ve Springsf. c. 5. n. 15.* Certè si respicimus ad observantiam, non possumus negare, testari Thuringiam, Marchiam, Misniam, Voigtlandiam de divisione factà: utrum autem eadem menti *A. B.* conveniat, altioris indaginis involvit quæstionem, quæ re fortius, quam verbis solvi posse videtur.

An Apanagiati contenti esse debeant Apanagiò suò?

§. III. Perstat igitur, Apanagii subjectum Principes esse ultrogenitos, de quibus tamen quæritur, an teneantur contenti esse Apanagiò suò, & non possint Primogenitum adigere, ut æqualiter dividat, aut certè uberius sibi prospiciat? *R.* quod non: nam præter ea, quæ cap. præcedenti §. 8. & 10. diximus, iniquum hunc succedendi morem non esse, vel inde constare potest, quod olim in Republica Deo craticâ postgeniti non solum in Prærogativa Sacerdotali Primogenito cedere necesse habuerint, *Gen. 49. v. 3.* cui non obstat *Num. 3. v. 12. 13.* sed & in familia herciscundâ duplum eidem adscribere obstricti fuerint *Deut. 21. v. 15. seqq.* Imo (ne de multis aliis dicam, quorum quædam possunt legi apud *Goldsast. de Major. l. 3. c. 5. n. 9. Knips. d. l. c. 6. n. 297.*) ipsa regnandi præminencia huic soli in eadem Rep. competebat *Gen. 49. v. 3.* ita penitus, ut reliqui fratres eidem assurgere, Principalem dignitatem exhibere, atq; servitia præstare fuerint obligati per *Gen. 27. v. 29. cap. 49. v. 8. Non obst. 1. Reg. 1. v. 38. seqq. 2. Paralip. 11. v. 22. & c. 22.* Semper enim aliquid singularitatis subest, quod hic, cum sit extra scopi metam, deducere non possumus. Nobis sufficit, quod exinde certi esse possumus, ultrogenitos de injuriâ sibi illatâ conqueri ex hoc puncto non posse. *Conf. 1. F. 1. §. 1. inf. 1. F. 8. 2. F. 11. 2. Paral. 21. v. 3.* Secuti sunt hunc morem quam plurimæ gentes, & hinc postgenitos ad differentiam peculiari *Domnorum* vel *Domnicellorum*, *Junctherrn*/appellatione denominarunt; Primogenitos verò simpliciter *Dominos die Herren* dixerunt. Apud Danos hodie

Domni Junctherrn.

hodie Primogenitus nominatur Princeps simpliciter, apud Gallos Delphinus, apud Hispanos infans &c. *Conf. Becm. de Dignit. illustr. diff. 8. c. 4.*

§. IV. Porro quæritur, utrum adhuc in numero Apanagiatorum habendus sit, qui habet aliunde, quod se pro dignitate sustentare potest? Affirmamus (1) quia, uti supra diximus, Apanagium succedit in locum legitimæ, quæ simpliciter nullis liberis sine causâ sufficiente denegari potest.

An Apanagiatus sit, qui aliunde bona habet?

(2) Quia & is petere potest alimenta, si eidem debentur, qui iis non amplius eget *L. 18. §. 1. de al. & cib. leg. L. 1. inf. C. de fideic. Non obst. L. 5. §. 15. & 25. de agnos. vel alend. lib.* quia loquitur de Patrono egeño, & sic de speciali magisq; favorabili casu.

(3) Quia videmus hoc consuetudine ita roboratum esse. *Vid. Springsf. cap. ult. §. 48. Thuan. lib. 62.* Neque movet, si dicatur, alimenta deberi tantum in subsidium, *L. 5. §. 7. de agnos. liber. Resp.* intellige illa alimenta, quæ à parentibus vel aliis ex superabundanti quibusdam porriguntur, non vero talia, quæ vicem sustinent Legitimæ, ex Naturali jure debitæ. *Diss. Tiragwell. de Primogen. q. 4. n. 35. q. 58. n. 11. q. 75. p. tot. Confer. pluribus Springsf. c. 13. n. 43. seqq. Knipsch. de fideic. famil. Nobil. c. 6. n. 234.*

§. V. Sed quid de illegitimè natis dicendum erit, si quærat, an ad Apanagiatos pertineant? Puta Naturales, sive ex concubina natos, spurios, adulterinos & incestuosos. *Resp.* Omnes hos ad Apanagii perceptionem pertinere arbitror, quando communis genitor eosdem agnoverit suos, eò, quod alimenta hunc habeant favorem, ut ad sui perceptionem admittant, qui alias successionis censentur incapaces. *Nov. 89. c. 12. f. L. ult. C. de natural. liber.* Et quamvis adulterinos & incestuosos J. Civile ne quidem alimentis dignos censeat *N. 89. c. ult. N. 74. cap. ult.* attamen de notoriâ consuetudi-

Quæritur an Filii naturales sint Apanagiati?

C 2

tudi-

tudine & hos ad alimentorum perceptionem admittite-
stantur Dd. vid. *Rittersb. ad N. p. 7. c. 3.* Quam quidem con-
suetudinem ex Jure Canonico deducunt *per c. 5. X. de eo, qui
daxit in matr. q. p. adult. pollu.* Attamen quia ibi specialis
planè habetur casus, & in aliis locis (*v. c. 13. X. qui filii sine
legitimi*) rigor Juris Civilis approbetur, ideoq; acquiesci-
mus potius in dicta consuetudine. Neq; obstat nostræ asser-
tioni *2 F. 26. §. Naturales & c.* quia à denegatâ successione ad
denegationem perceptionis alimentorum non valet con-
sequentia. Cæterum quæ de liberis Naturalibus hæctenus
dicta sunt, extensa quoq; volumus ad Adoptivos, qui licet ad
regimen non adspirent, inter Apanagiatos tamen habendî
sunt, quia & illis alimenta debentur. *Surdus de alim. l. 1. q. 2.*
Nec obstat, quod Apanagium debeat saltem postgenitis,
quales adoptivi non sunt *L. 76. de Cond. & demonstr.* Nam sub
hisce postgenitis adoptivi continentur, qui cum aliis fratri-
bus eodem gaudent jure. Quod autem *d. L. 76.* sub liberis
adoptivos non complectatur, ejus ratio est contraria dispo-
nentis voluntas.

*An Apana-
giati sint sub-
jecti Primo-
genito?*

§. VI. Antequam ad ulteriora progrediamur, disqui-
remus paucis, an Apanagiati Primogenito subjecti sint?
Quod quidem primâ fronte affirmandum videtur, quo-
niam supra ex jure divinô adduximus, Ultrogenitos Primo-
genito servitia verisimiliter præstitisse. Sed tamen quicquid
ejus rei sit, in Republica nostra postgenitorum melior ha-
betur ratio, & pares iidem, quoad dignitatem, Primo-
genito cœntentur vid. *Bets. de pact. famil. illust. c. 3. p. 436.* ac
propterea possunt illi ratione personæ suæ (non vero Apa-
nagii, *A B l. 16. R. J. de A. 1529.*) alterius protectionem ambi-
re, *arg. J. P. O. art. 8. §. gaudeant & c.* quippe quæ quacunq;
ratione de Jure Naturali cuivis permittitur *L. 3. de J. & J.*
suo

Suo itaq; abundare sensu videtur *Knipsch. de Fideicom. Fas
mil. Nobil. c. 6. n. 229. & Besold. Nomico-Pol. lib. 1. diff. 5. n. 12.* Qui
asserunt simpliciter, quod postgeniti Apanagia sua non ali-
ter possideant, quam viduæ Principes dotalia, *das Leibge-
dinge* & quod non aliâ Lege concedantur, quam ut Primo-
genito obligati sint ad Hominum fidelitatemq; præstan-
dam. Interim non penitus negamus, in aliis Regnis Ultero-
genitos Primogenitum tanquam Dominum venerari, eiq;
fidelitatem jurare necesse habere, uti de Gallia testatur *Bo-
din. lib. 6. de Rep. cap. 5. conf. Springsf. c. 11. n. 115.*

§. VII. Cæterum quod hætenus dictum est, eos qui
Apanagiò dimittuntur, esse ultrogenitos, id regulariter
quidem verum est, interdum tamen contingit, ut Primoge-
nitus Apanagiatus fiat, & contra aliquis ex postgenitis in
locum ejus evehatur, v. g. (1) Quando parens Primogenito
jus Primogenituræ aufert, & alicui ex postgenitis confert:
Fieri hoc autem nequit, nisi ipsius primogeniti consensus
adhibeatur. Hæc enim successio per legis Fundamenta-
lis constitutionem ad eum pertinet, cui testamentariâ Pa-
rentis ordinatione nihil detrahi potest, *arg. L. 11. ff. de R. J.*
licet forte filius in eum fuerit in gratus. Propter hoc vi-
tium enim auferri quidem possunt bona Patris propria,
non autem quæ Regni esse censentur. Cæterum excipe
hic casus (a) si Primogenitus ad imperandum non est aptus,
cui invito quoq; hoc jus eripi poterit, cum ipsa æquitas ju-
beat, ut strictæ legis observationi Provinciarum commo-
dum anteponatur *L. 25. ff. de LL.* (b) Si Regnum noviter
fuit acquisitum, ubi hisce legibus non est adstrictus acqui-
rens. Quamvis paternam dispositionem, Primogenitum
postponentem in felicem sæpe exitum habuisse, per exem-
pla probei *Springsf. c. 3. n. 189. seqq.* (2) Ad succedendum is
doneus

Primogenitus
Nominis de
Apanagiatus

Interdum
Primogenitus
fit Apanagiatus.

117

**Primogenitus
Naturalis sic
Apanagiatus.**

**Primogenitus
Jus suum
vendere pot-
est**

doneus non est Primogenitus, si non legitime natus, sed bastardus vel naturalis est *A. B. Carol. IV. c. 7. Lips. Monit. Pol. cap. 4. monit. 1.* Sed & hic quaedam dantur exceptiones v.g. quando alii masculi deficiunt, si eorum, quorum interest accedit voluntas & consensus, si accedit legitimatio per subsequens matrimonium, antequam alius, legitime natus in lucem productus est, vel jus quæsitum jam habet. Tunc enim omnes honores æquè ut legitimus capessendi gaudet facultate: Prout supra diximus. *Conf. Mynsing. 5. observ. 42. Wurms. exerc. J. P. 2. concl. 9. (3)* Quando jus suum vendidit. Ubi tamen duæ veniunt in mentem quæstiones, quas brevibus examinabimus: Nempe (α) quæritur, utrum venditio talis præjudicet liberis, ita ut propter factum Patris à successione excludantur? Distingvo hic inter familias, in quibus Primogenituræ jus exercetur: Aut enim illæ adeò sunt liberæ, ut superiorem non recognoscant, nisi DEUM & gladium, aut Seniore & Dominum feudi recognoscunt. Ibi si adest Lex regni, quæ Primogenito defert successionem, & prohibet, ne ab ista linea, quamdiu durat, auferatur eadem, tunc liberis Primogeniti per venditionem à Patre factam, non præjudicari posse arbitror: Hic verò si omnia alienationis requisita intervenerint, non quidem agnatis *2. F. 39. §. 8.* nisi consenserint, benè tamen filiis denegari posse successionem, certum est per *2. F. 45. 1. F. 8. §. 13. 14. 18. 1. F. 18. 2. F. 9. Ordin. Elect. Torgav. Tit. welcher Gestalt die Agnaten/ Conf. Struv. in S. J. F. c. 13. aph. 16.* Hoc enim in jure Feudali controversiâ carere videtur, quod Vasalli filii non aliter perveniant ad successionem, nisi mediante patre, qui quoniam filiorum jus, quod habebant in spe, alienavit, ideo nihil iis reliquum hæc in parte videtur. Deinde (β) quæritur, an talis venditio oblationem enor-

enormissimam ex L. 2. C. de rescind. vend. annihilari possit?
 Distingvo iterum inter jus Gentium & Civile: secundum
 illud subsistere venditionem existimo arg. Gen. 25. v. 33. junct.
 6. 27. v. 36. De hoc vero everti posse eandem, satis probare vi-
 detur d. L. 2. de rescind. Vend. (4) A successione excluditur
 Primogenitus, quando juri suo renunciavit, illudq; alii ces-
 sit: omnibus enim privilegiis atq; juribus, quæ pro nobis
 sunt introducta, renunciare possumus L. Si quis 29. C. de Pact.
 Cæterum quicquid de filiis censuimus in venditione, illud
 etiam renunciatiōi volumus applicari. Quod si autem
 tali juri renunciāns nullum habet filium, tunc ad proxi-
 mum fratrem ejus defertur successio. Post renunciatio-
 nem autem ad jus prius non datur regressus, per textum
 in L. 1. §. 6. ff. de Successor. edict. Eō enim momentō quō
 possidere noluit, tali jure excidit, illudq; ad alium transtu-
 lit L. 4. ff. quis ord. in poss. serv. Neq; refragatur opinioni
 nostræ L. 8. ff. de collat. bon. L. 3. §. 10. ff. de Sepulchrō viol. (5)
 Quando tale perpetravit delictum, ob quod Primogenitu-
 ræ jure privatur. Sed ut & hic procedamus recte, ante
 omnia distingvendum erit iterum, utrum Primogenitus in
 suo territoriō sit absolutē summus, an vero sit Vasallus, supe-
 riorem recognoscens. Ille fortē hic non poterit intelligi,
 cum fratres ejus tanquam pares pœnas ab illō sumere non
 possint, multominus inferiores hęc facultate gaudebunt.
 De hoc constat quidem, quod ob certa delicta amittat feu-
 dum, ad quem autē illud transferatur, nondum decisum esse
 unanimiter videtur. Duplicem invenimus distinctionem in
 2. F. 37. ubi primo distinguitur inter Feudum Paternum & he-
 reditarium, ac deinde inter Feloniam, quæ erga Dominū, &
 quæ erga alios commissa est. Si Feudum est hereditarium, ob
 delictum Vasalli transit ad Dominum, ita quidem, ut neq; li-
 bera

Primogenitus
 juri suo pot-
 est renun-
 ciare.

Amittitur
 jus delin-
 quendo.

117



beri ejus, neq; fratres, neq; alii agnati ad successionem unquam admittantur *Hart. Pistor. lib. 2. q. 15. n. ult.* Et sic tali in casu nec Primogenitus fit Apanagius, nec postgeniti in ejus locum evehuntur. Sin Feudum est Paternum, & Felonia ad ipsum Dominum respicit, sive immediatè, (v. g. Ei Vasallus denegat servitia debita. *1. F. 21.* Dominum a filio *2. F. 6.* eundem criminaliter accusat *2. F. 33. vers. similiter* &c. credentiam revelat *1. F. 17. 2. F. 5. seqq.* atrociter injuriat *2. F. 6.*) sive mediatè, v. g. si cucurbitat Dominum, vel in Filiam ejus, sororemvè committit *1. F. 5. 7. 21. §. ult. 2. F. 24. §. Idem* &c. tunc Feudum revertitur ad Dominum, ita, ut post Vasalli delinquentis mortem, ejusq; filiorum ad agnatos pertineat *2. F. 31. Non obst. quoad agnatos 2. F. 24 §. ult. 2. F. 37. §. Callidis &c.* Atq; ideò neq; in hoc casu Ultrogenitos in Primogeniti locum posse pervenire, dicendum erit: interim tamen ob æquitatem Apanagia sua, quia nihil deliquerunt, non amittent, præcipuè si aliundè non habent, ut honestè possint vivere. Ubi autem Felonia ad Dominum non respicit, sed ad alios, v. g. si Vasallus commisit parricidium *2. F. 24 inf.* incestum arg. *2. F. 56.* prodidit convasallum nefarie *2. F. 32.* ibi de Jure Feudali ad agnatos proximos sine discrimine graduum (non obst. *2. F. 26. §. si Vasallus &c.*) *2. F. 24. §. Deniq; 31. 37.* exclusis filiis delinquentis pervenit Feudum *2. F. 31. 37.* & sic postgeniti in Prioris locum succedunt. De jure autem Electorali nostrò etiam delinquentis filii admittuntur, *Const. 27. p. 3. Conf. Carpz ad d. c. def. 3. n. 7.* De crimine læsæ Majestatis in specie quæritur quid juris sit? Resp. Si Feudum est hereditarium, aut jure hereditario censetur, uti in Galliâ, Angliâ, Hispaniâ, tunc pervenit ad Fiscum, salvò reliquorum fratrum Apanagio, arg. *L. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Sin tale non adest, adhuc disputatur, utrum ad Dominum, an ad proximos agnatos spectet? Pro Domino deponit *Fachin. l. 7.*

c. 22. Hartm. Pistor. l. 2. qv. 15. 16. Kapp. observ. Feudal. 9. n. 34. & plures alii: Sed his contradicunt Rosenthal. de Feud. c. 11. concl. 5. n. 1. Schurf. conf. 10. n. 41. seqq. cent. 3. Nos statuimus, procedi in hoc crimine, uti in aliis diversimodè hactenus enumeratis. Conf. Rumel. ad A. B. p. 3. diff. 4. Gail. de P. P. l. 2. c. 13. n. 15. seqq. (6) Ad regimen admittuntur Ultrogeniti, quando Primogenitus clericatui sese devovit A. B. c. 7. Cæterum dum hic Clericos nominamus, non eos indigitamus, qui Administratores sunt Episcopatum, vel Archiepiscopatum, religioni Evangelicæ addicti: hi enim propriè clericorum non sunt in numero Springsf. c. 3. n. 247. proptereaq; Officiò tali non obstante feudum accipere possunt. Rosentb. de Feud. l. 2. concl. 1. Arum. ad A. B. disc. 4. thes. 8. Quæritur autem, an illi, qui clericatum assumerunt, si eidem velint renunciare, ad successionem redire queant? Negatur per A. B. d. c. 7. nisi forte Pontificis dispensatio accedat. Limitationem tamen hujus rei videre licet in Constitutione Torgav: de Anno 1555. §. 18. Conf. Arum. disc. 4. th. 7. Cæterum si Clericus permanserit Primogenitus, tunc successio ad proximum fratrem pertinet A. B. c. 7.

Clericatus
privat jure
Primogeni-
tura.

§. VIII. Quid verò de hoc casu dicendum erit, & qualis amplectenda sententia, quando nimirum Primogenitus, antequam Pater Regnum vel Principatum obtinuit, natus est, sitne Apanagiatus, an servat jus Primogenituræ illæsum? Respondetur ante omnia attendendum erit, quid cuiusvis regni leges fundamentales ferant; quæ si non adfuerint, putant quidem nonnulli, quod in illò regnò, quod cuidam ex sorte, vel aliò inopinatò casu obvenit, Primogenitus postponendus sit ultrogenitis, & contra hi in nostrò casu eidem præferendi, in eà autem successione, quæ à majoribus defertur, Primogenitum talem admittunt vid. Springsf. c. 3. n. 253. seqq. Verum si dicamus, neutro in casu

Qu. quid ju-
ris, si Prima-
genitus na-
tus sit ante
regnum ada-
ptum?

D

sure-

su removeri eum jure posse, æquitati fortè non contrariabi-
 mus. Cùm enim in bonorum successione, non ad acquisi-
 tionis, sed ejus, cui succeditur, mortis tempus respiciatur,
 ideo successio Principis postea obtenta non obstabit, quo
 minus in ejus successione quoq; ratio habeatur filii, ante
 adeptam dignitatem talem suscepti. Siquidem alias seque-
 retur, quod si præter filium ante imperium genitum, nul-
 lum alium haberet Pater, etiam ille à successione sit exclu-
 dendus, quod tamen non dixerim, cum juri primogenituræ
 apertè sit contrarium, secundum quod primogenitus ex na-
 tivitatis, non honoris & dignitatis paternæ tempore æsti-
 mandus est. Juvat hanc sententiam civile Jus in *L. 5. ff. de Se-
 nator: L. 2. §. 2. ff. de Decurion: L. 9. §. 14. de Pœn. L. 11. C. de di-
 gnitat. L. 12.* Quin & ipsa consuetudo & praxis viva, de quâ
 plurima producere exempla haud difficile foret, hoc asser-
 tum roborat. *Conf. Springsfeld. d. l.*

*Utrum Pri-
 mogenitus ex
 plebeja an
 Secundo-
 genitus ex illu-
 striori matre
 natus prefe-
 rendus sit?*

§. IX. Loci hujus illa etiam videtur esse quæstio, utrum
 Primogenitus ex Plebejâ, an verò Secundo-genitus ex illu-
 striori matre editus Apanagiatus fiat? Et certè non desunt
 rationes, quæ pro Secundo-geniti favore facere videntur,
 neq; desunt, quæ Primogeniti prærogativam tueri valeant.
 Secundo-genitum ad Regnum evehi, & Primogenitum Apa-
 nagio dimitti debere, hæ videntur svadere rationes, (1) quia
 ad ea obtinenda, quæ honorem publicum præ se ferunt, ma-
 tris quoque Nobilitas requiritur. Unde neque ad Tornea-
 menta, neque in superioribus collegiis, præcipue Ecclesia-
 sticis, in den hohen Stiffen / ad functionem admittitur,
 quem matris nobilitas obscurat. *vid. Auct. des Turnier-
 buchs tit. Verkündigung aller Turnier-Freyheit.* (2)
 Quia ex Plebejâ natus in Feudo, & in beneficio succedere
 non potest *2. F. 19.* (3) Quia matrimonium ipsum, quod inter
 honoratiorem & viliolem contrahitur, à LL. reprobatur
arg.

arg. L. 44. pr. L. 58. de R. N. Quomodo autem ex reprobato
matrimonio natus prerogativa gaudere potest? (4) Quia
in talibus matrimoniis non saltem ad id, quod licet, sed &
quod honestum sit, respiciendum est L. 42. d. t. Quis autem
negaverit, honestius esse, ex utrisque parentibus illustrioribus
fuisse natum. (5) Quia ex similibus matrimoniis luctuosi
sequi solent eventus, id quod Exempla Erici, Svecorum Re-
gis, Iictoris filiam ducentis, nec non Francisci Magni, He-
truriae Principis, inaequalem sibi in secundis nuptiis uxo-
rem jungentis, satis docere possunt. Ex eventu autem judi-
care saepe solemus de re ipsa. Contra vero Primogeniti Par-
tes defendunt sequentia: (a) Quod a solo Patre deducatur
nobilitas L. ult. C. de Nupt. N. 150. c. 2. unde etiam liberi a Patre
formam, a matre vero naturam accipere dicuntur, atque
non matris, sed Patris insignia gestare cernuntur. Et inde
ignobilitas matris liberis, quoad privilegia paterna, nocere
non debet, Bocer. tr. de Reg. c. 2. n. 19. Imo uxor Plebeja per
maritum nobilem participat de nobilitate L. 8. de Senator:
L. 13. C. de dignit. 12. (b) Quod nulla adsit constitutio, quae Pri-
mogenitum talem a regnandi prerogativa arceat. Hisce
opinionibus invicem collatis, posterior priori multo vide-
tur exuberantior, & aequitati magis conveniens, cui pro-
pterea adductae rationes parum obesse poterunt. Nam
quod ad primam attinet, non valet consequentia: Natus ex
plebeja non admittitur ad torneamenta; Ergo successione
in regno quoque privandus est. Si quidem haec est exceptio,
hactenus recepta, quae firmat regulam in casibus non exce-
ptis. Secunda assertio locum habet in uxore, ducta ad Mor-
ganaticam, de qua hic nobis sermo non est. Ad tertiam sci-
endum est, quod in Jure Romano peculiariter receptum sit,
ne Senatorius ordo libertinorum libertinarumve, aut eo-
rum

rum earumvè, qui quævè ludicram artem didicere, nuptiis
turbetur *L. 16. de R. N.* quæ autem ad nostrum thema non
pertinent, quod non ex Jure privato, sed publico & LL. Re-
gni decidendum, ubi tamen nullam constitutionem esse in
contrarium, dictum jam est. Ad quartam negamus, quod in-
honestum sit, associare sibi plebejam uxorem. Hoc non dif-
fitemur, quod clariorem atque illustriorem filii reddat con-
ditionem, si natus sit ex parentibus utrinq; nobilibus, sed
tamen exinde non sequetur, quod mater plebeja matrimo-
nium constituat minus honestum: majus enim & minus
non variat speciem. Eventus quintò non semper sequuntur
Tragici, sed plures fortè fortunati. Neq; si verè loqui veli-
mus, eventus rei Justitiæ præcisè respondent. Accedimus
ergo illorum sententiæ, qui Primogenito tali in casu Jus il-
libatum servare contendunt. *Conf. Rumel. ad A. B. p. 2. diss. 3.
in f.*

*Quæritur, an
Filiabus sit
exhibendum
Apanagium?*

§. X. Dubitari autem posset, an sororibus quoque sit
constituendum Apanagium, cum filiorum jura ad filias non
sint extendenda? At vero quoniam Apanagium nomine ali-
mentorum exhibetur, filia autem antecessoris & sorores
successoris nullibi ab eorum perceptione sunt exclusæ, neq;
excludi possunt, facile potest colligi, habendas illas omnino
esse in numero Apanagiatorum, genus siquidem masculinū
continet etiam foemininum. *L. 1. de U. S.* præcipuè ubi sub-
jecta materia, aut alia peculiaris ratio non est in contrari-
um. Proptereaq; ipsa etiam Aurea Bulla monet, ut clemen-
tem sese Primogenitus atque pius erga fratres non tantum,
sed sorores quoque exhibeat, iisq; de alimentis prospiciat.
Vid. A. B. c. 24. Cæterum illud hic notandum erit, quod hæc
alimenta eousq; saltem concedantur foeminis, donec ma-
ritis jungantur, tunc enim alimentorum locum dos occu-
pat

par, quæ est mulierum propria L. 29. C. 30. C. de jure dot. Apanagium vero licet parens Apanagiatus moriatur, ad descendentes ejus defertur. Cæterum quicquid hæctenus dictum est de sororibus, id ipsum quoque Springsfeld ad impudicè viventes extendit, cum per impudicitiam jus alimentorum non perdatur c. 3. n. 304.

§. XI. Breviter nunc etiam videndum erit, quid observandum sit, quando Apanagiatus multis relictis liberis decedit, num augendum tunc sit Apanagium, ut eo commodius omnes vivere, & avitum splendorem eò melius tueri valeant? Id quidem primâ fronte videtur esse affirmandum, quia sic familiæ splendor ac dignitas, quæ h. l. maximè attenditur, augustior multo servatur. Sed cum Apanagium per æquales partes inter familias distribuatur, non habita ratione liberorum, sive quis multos habeat, sive minus, facile exinde colligitur, quid hic etiam obtineat, quod nimirum neque auctâ Apanagiatorum prole, sit augendum Apanagium, neque illâ ad paucos redactâ, minus in Apanagium concedendum, quoniam si attendendus semper foret liberorum numerus, nimis assignationibus citò Regnum enervaretur. Quod si igitur Apanagiatus moriatur multis relictis liberis, succedunt illi simul, ita quidem, ut non habeat locum jus Primogenituræ inter eos, uti nec quicquam refert, utrum omnes pro indivisò portionem Apanagiatam teneant, an singulis partem adscribant. Sin moriatur absq; legitima prole, aut ad regimen adspiret, tunc Apanagium, aut potius ejusdem utilitas coalescit cum Domanio, neque ad reliquos fratres transit, quoniam in Apanagiò nulla subest conjunctio, ac propterea jus accrescendi quoque inter Apanagiatos non potest habere locum. Dixi autem utilitatem Apanagii coalescere cum Domanio, quia

Qu: quid juris, si Apanagiatus decedit multis relictis liberis?

quia verius forte est, si dicas, proprietatem ejus semper manere apud Regnum. Interim illa utilitas ususfructus strictè dici nequit, eò quod ususfructus a deo osibus fructuarii inhareat, ut extinctò eò statim desinat, nec ad successorem transmittatur, quod tamen in Apanagiò fallere jam jam dictum est. Quod si igitur opes, in Apanagium concessæ ad tuendam vitam familiæ illustri convenientem, non sufficiant, alia media quærenda erunt, quibus Apanagiatis egenis subveniatur, qualia sunt licita & toleranda collectarum indictio, vectigalium justa adauctio, aut novarum impositio, moderata Feudorum cum Domanio consolidatio & plura alia. *Vid. Springsf. c. 7. n. 37. usq. ad f. Clapm. de arcan. Rerumpubl. lib. 5. c. 125.*

An Collateralibus constituendum sit Apanagium?

§. XII. Interdum contingit, ut etiam Collaterales Apanagii desiderent constitutionem, de quibus quæri potest, an sint audiendi? v. g. ponamus casum: Moritur Sempronius Princeps, relictis Nepotibus duobus, alterò ex Primogenito, alterò ex secundogenito; Ille ad solium per jus representationis, uti supra diximus vocatur, hic postulat ab eodem Apanagium, quæritur an possit illud obtinere? videtur primo intuitu dicendam quod non, quia supra c. 1. §. 6. diximus, assimilari Apanagium legitimæ, de quâ testantur jura, quod transversalibus regulariter non debeatur *L. 1. de in off. test.* Uti & hanc sententiam non pauci tenent *Dd. inter quos etiam Mart. de Afflict. & alii allegati à Springsf. c. 3. n. 281.* Verum ut contrariam sententiam verioremq; magis convenientem dicamus, movet, quod Principis talis agnati non succedant tanquam Collaterales, sed Parentes suos referentes, tanquam descendentes, cum, prout dictum, Apanagia in Rebus publicis ideò serventur, ut Regii sanguinis principes habeant, quo se pro familiæ digni.

dignitate tueri possint. Hinc etiam filiorum appellatione nepotes contineri, sæpenumero in jure responsum est *L. 120 de V. S. L. 22. §. 1. eod.* Immo licet hucusq; aliquis ex ultro- genitis fuerit Apanagiatus, si tamen ob mortem Prædeces- soris ad regnum evehitur, non debere eum Apanagium suum cum coronâ consolidatū servare, sed proximo agna- to (si quidem aliquis adest, qui nondum Apanagiatus fu- erit, v. g. filius antecessoris regnandi incapax, aut adoptivus) porrigere, sentiunt cordatiores, quoniam Apanagium non revertitur ad coronam, nisi masculis extinctis. Rem per exempla prolixè illustrat *Springsf. d. l. n. 286. seqq.*

CAPUT III.

DE

JURIBUS APANAGIA- TORUM

§. I.

Apanagiatorum jura dum instituimus explorare, à testa-
menti factione inchoabimus, & videbimus, utrum Apa-
nagiatus, quoad bona Apanagii, possit conficere testamen-
tum? Ubi dupliciter respondetur: Vel enim Apanagium
ex bonis feudalibus datur, ubi Primogenitus seniore[m] re-
cognoscit, vel ex iis, ratione quorum à nemine infeudatus
est. Ad priorem igitur quod attinet casum, nullam ibidem
testamenti factionem locum invenire, arbitramur, quia nec
ipse Primogenitus de feudo, quod à superiori tenet, per dis-
positionem testamentariam quicquam potest alienare, cum
tanquam res restitutioni obnoxia, vel ad dominum conce-
dentem revertatur, vel ad legitimos successores pertineat.
Posteriori modo tunc demum testamentaria valebit ordi-
na-

*Quæstio: An Apa-
nagiatus pos-
sit facere te-
stamentum?*

natio, si adhibitâ Primogeniti voluntate fiat, & legi Regni, alienationem prohibenti, non contrarietur. Cæterum longe diversa ratio est fructuum, ex Apanagiô perceptorum, quorum proprietas, quoniam ad Apanagiatum spectat per testamenti factionem, vel aliô quocunq; modo in alium poterit transferri *Conf. Springsf. c. 11. n. 39. seqq.*

An territorialis superioritas pertineat ad Apanagiatum? §. II. Videndum nunc ante omnia est, an ad Apanagiatos spectet superioritas Territorialis? Quæ vox (de qua tamēn multūm disceptant) moribus est introducta, ac propterea Juri Civili incognita, & nihil aliud importat, quam potestatem summæ Majestatis æmulam, omnia, quæ ad regimen civile pertinent, complectentem, sublimi jure, salvâ tamen Imperatoris Imperiîq; Majestate, convenientem. Die hohe Landes Obrigkeit/die Oberherrlichkeit/oder Bottmäßigkeit. *Schweder. Introd. in J. P. part. special. sect. 2. c. 10. n. 3.* Et videtur dicendum, quod hæc eminentia gaudeant, eò, quod Recessus Imperii ei ad scribant hanc superioritatem, qui ab Imperiô immediatè dependet. Vid. R. J. de Anno. 1548. §. Wie wohl auch in der Regierungshandlung ic. Ibi: und also gar keine Mittel unter den Reich haben/auch nicht anders/denn mit den außdrücklichen vorbehalt der Fürsten Berechtigkeit zu denen Dignitäten zugelassen seynd. Et paulo post: In ansehen/das solche neue Grafen und Herren nicht immediatè Glieder und Stände des Heil. Reichs gewesen. Ubi Comitibus & Baronibus propterea denegatur Status character, quod ad Imperium immediatè non pertineant. Apanagiatos autem nostros præsupponimus Imperio immediatè subjectos: Ergo exinde sequi videtur, fulgere eos quoq; debere superioritate territoriali. Verum quoniam hæc ipsa ita comparata est, ut materialiter & pas-

passivè territorio inhæreat *Reinking. de R. S. & E. class. 5. c. 1. n. 6. seqq.* & Apanagiati, prout dictum, non tam ipsum territorium, (si quidem Apanagium in Provincia aliqua est constitutum, potest enim & in pecunia numerata, & in redditibus constitui *Rumel. ad A. B. part. 3. diff. 5. §. 13. add.*) quam utilitatem ejus habent, oppidò exinde evincitur, destitui illos jure tali. Neque aliud vult d. R. J. quoniam omnino verum est, quod nemo prærogativâ illâ gaudeat, qui ab Imperiò non immediatè dependet, sed exinde vice versâ non concludimus; quod qui est immediatus, eò ipsò etiam polleat ejusmodi superioritate. Cæterum quicquid hætenus dictum est, locum sibi vindicat, quoties de casu regulari sermo est interdum autem contingit, ut per modum exceptionis Apanagiatum prædictum jus simul adipiscetur, v. g. si cum eò investiatur, quod obtigit Comitibus Ost-Frisiæ Anno 1589. si Primogenitus de jure suo remittat, uti factum ad petitionem Regis Navarra, Anno 1576. si consuetudo loci aliud ferat, uti in Bohemia & Polonia, & similiter.

§. III. Ubi autem ad Apanagiatos dicta territorialis superioritas non pertinet, ibi & iis juribus, quæ eidem annexa sunt, destituti intelliguntur, qualia sunt (1) *Jus Episcopale*: consistit hoc in externa (non interna, v. g. Prædicatione, Sacramentorum administratione & similibus) Ecclesiæ curâ, per quam religionis certæ, hætenus exultæ in alterius potest mutare exercitium, & præterea etiam circa personas & res Ecclesiasticas, prout decet, disponere. Et hanc competere Principi Seculari, omnibus viribus negare conantur Catholici, refutati tamen exemplis in sacris occurrentibus. *Vid. 2. Chron. 17. v. 7. 2. Reg. 22. & 23. Confer. Magnif. Dn. Ziegler. de J. M. dissert. 5. tit. 14. seqq.* Quibus innixi Nostra-

E

tes

Apanagiati
destituuntur
jure Episco-
pali.

An Apanagiati habeant Jus Patronatus?

Apanagiati non habent Jus Cancellariam habendi: Neq; Jus recipiendi Judeos.

tes contrarium defendunt, cum Princeps varios induat respectus morales, & Juri Morali non aduersetur, Dominum territorii habere facultatem disponendi de rebus Ecclesiasticis externis: nam cujus est regio, ejusdem etiam est (suo modo) religio *Carp. Jprud. Consist. Lib. 1. def. 3. n. 4.* Et ob eandem causam Apanagiati hic sunt exclusi; nisi idem quoque Jus simul sit concessum, vel Primogenitus conniveat. Cæterum iisdem tamen, licet hoc jus non habeant, liberum religionis exercitium non est impediendum, uti nec Ministris eorum *vid. Springsf. c. 11. n. 74.* Sed quid de Jure Patronatus est dicendum, quò præsentatur instituendus Episcopo, ad vacans Ecclesiæ aut aliud simile beneficium: quod cum Jure Episcopali & Jurisdictione nihil habet commune. *Stephan. de Jur. Patr. part. 1. c. 3. n. 8.* annon illò quoque destituuntur Apanagiati? Resp. quod sic; nam nemo hoc jure gaudet, nisi qui Ecclesiam, aut aliud quid, ad quod illud jus pertinet, fundavit, extruxit vel dotavit, aut ab eò accepit, qui hoc fecit *Lancellot. Instit. Lib. 1. tit. 25. §. 1.* Quia autem Apanagiati tales non sunt, atq; ipsius rei, in Apanagium datæ Domini non censentur, ideoq; carent quoque Jure Patronatus, nisi illud expressè & per conventiones sit concessum. (2) Jus habendi Cancellariam atq; Archivum: horum locò Apanagiati Consiliariis ac præfectis contenti esse debent, nisi fortè in Apanagiò Impropiò hoc privilegium simul sit indultum. (3) Jus recipiendi Judeos in terram Apanagiatam. Equidem non diffitemur, quod inter Politicos adhuc sub Judice lis sit, an Judæi in clientelam ac protectionem sint recipiendi, cum gens Judæorum, invisa DEO & in Christianorum conspirans interitum nihil aliud, quam refractis legum repapulis, sanguinem & nummos eorum sitit, & modis etiam quibus potest nefariis, acquirat. *Arum. ad A. B. diff. 5.*

diff. 5. cap. 9. th. 6. p. m. 266. Confer. Wolffg. Hiller in Rechtlichen Bedencken in causâ Judaorum: attamen præsupponimus hîc, quod Princeps ex plenitudine potestatis Judæos, si citra contemptû Christi ac Christianæ religionis in Republ. vivere promittunt, salvâ animi tranquillitate recipere possit, partim, quod hoc ipsum A.B. concedat, c. 9. partim, quod bona eorum tam activè, quam passivè sub pace publicâ comprehendantur Arnold. Reyger. in Thes. pract. verbo Judæus n. 2. conf. Wurmser. in N. J. C. tit. de P. P. contro. 11. Utrum autem exinde Reipublicæ, prout decet, prospiciat, alia res est, quæ fortè negativè non malè decidi posset. Vid. dict. Hiller in allegato erudito scripto, Cum autem & hæc potestas referatur inter Regalia, territorii juri adhaerentia, facile concluditur, quod Apanagiati, quia illud non habent, hic quoque nihil juris possideant, cum cessante causâ cesset etiam effectus. (4) Jus exigendi aut recipiendi Homagium. Homagium dicitur, quasi hominis ligium, i. e. obligatio ad fidelitatem, inde etiam à quibusdam dicitur Hominium, die Erb- und Landhuldigungs Pflicht / quo Dominus territorii subditos sibi ad obedientiam & fidelitatem adstringit, cujus intuitu & ipse quoque fidus esse jubetur. Fit hoc consuetò more sub fide religionis, sive Jurisjurandi, quod quidem necessarium non videtur esse, ideo, quod subditus, licet non juraverit, fidelis tamen Domino suo debeat esse. Nam non ideo quis censetur subditus, quia jurat, sed quia subditus est, ideo jurat, & non ideo superior quis est, quia recipit jusjurandum, sed quia superior est, ideo recipit illud. Interim tamen moribus istud receptum est, cum superflua non noceant, & multos Jurisjurandi religio ab eò deterreat, quod alias facilius perpetrarent. Cum autem Homagium ejusmodi territorii Domino præstetur, & talis

Uti nec jus
 recipiendi
 homagium.

homagium
 non datur
 subditis
 quia
 homagium
 est.

non
 recipiendi

*Apanagiati
non habent
jus indicendi
conventus
Provincia-
les.*

*Neq; Jus
collectandi.*

non sit Apanagiatus, prout dictum, ideo facile hariolari licet, quod exigere illud non possit. *Confer. Gotmann. vol. 4. conf. 4. n. 200. seqq.* Et sic videmus, quod aliquando ad evitandas dubitationes, etiam patre vivente, Primogenito Homagium praestetur, uti de Bavaria testatur *Springsf. c. 11. n. 166. seqq.* Quamvis, utrum hoc consultum sit parenti, dubitare liceat, cum non raro futuri successores adversus possessorem varia moliri soleant, *vid. 1. Reg. 1. § 12. 2. Reg. 8.* & praeterea populi inconstantia magna sit, qui Orientem solem magis plerumq; adorare soleat, quam occidentem. Sed quod haecenus dictum est, non competere Apanagiato jus exigendi Homagium, illud intelligendum est de Apanagiato proprio, non vero improprio, ubi Primogenito cum ultrogenitis non conjunctim solum, sed & separatim, & quomodo alias consuetudo fert, fidelitas juratur, uti de Saxoniam & aliis locis per praedicta testatur *Springsf. d. l. n. 181. seqq.* Caeterum quicquid asseruimus de Homagio, quod praestant subditi, id ipsum accommodari quoque potest ad Vasallagium, *die Erbhuldigungs Pflicht*/quo Valli sese Domino suo obligant, qui, quia tales, subditi non sunt. *Struv. Synt. J. F. c. 8. Aph. 6. n. 9. (5) Jus indicendi conventus provinciales Landtage auß zu schreiben.* Hoc itaq; Apanagiati non habebunt, nisi vel teneant Apanagium Improprum, vel alio modo hujus privilegii possessionem habeant, quod casu senior quidem, sed tamen nomine caeterorum quoque fratrum conventus indicit, uti in Serenissima Domo Saxonica fieri, probat *Springsfeld. c. 11. n. 197. seqq.* (6) *Jus collectandi in terris, Apanagio affectis, Steuern an zulegen:* collectarum enim indictio & solutio est infallibilis nota superioritatis, & certum sublimioris eminentiae signum *Knich. de jur. territor. c. 3. n. 310. seqq. Conf. Klock. de contrib. c. 3. n. 136. seqq. Kepp.*

5.
Kæpp. decis. 32. n. 4. 8. quam cum Apanagiati non habeant, neque jus collectandi habebunt, nisi speciali ratione illud acceperint. Et hoc de collectis in genere dictis ita sese habere puto; quid autem erit dicendum de collectis specialibus, quæ casibus extraordinariis indicuntur? Ponamus, elocandam esse filiam Apanagiati, & cum aliunde dotatio commoda haberi nequit, imponendæ sunt collectæ, quaritur quis illas imponat, utrum Pater Apanagiatus, an Primogenitus, an Imperator ipse? Præsupponimus (ne ex in certis pugnare videamur) elocationem filiæ esse sufficientem causam, ob quam indici possint collectæ, præcipuè ubi vel necessitas eas efflagitat, vel regionis consuetudo assertum, comprobatur, licet multi dissentiant, quæ allegari videri possunt apud *Myns. cens. 5. observat. 21.* Et deinde dicimus, quod Apanagiatus ne quidem opus habeat, ut filiæ maritandæ constituat dotem, multo minus ut hanc in rem imponat collectas in terris Apanagiatio affectis. Ut enim dotare alias Paternum sit officium *L. ult. C. de dot. promis.* & quidem ita, ut neque mater ad hoc teneatur, *L. 14. C. de jur. dot.* neque frater *L. 12. §. penult. de admin. tut. Jac. de S. Georg. de Feudis p. m. 419.* est tamen hoc exaudiendum de casu, quo pater propria habet bona, & hereditatem suam irrevocabiliter possidet. Quod quoniam in Apanagiatio fallit, cui quoad justam saltem alimentationem provisum est, ideò facile exinde concluditur, quod ad Primogenitum ac Regni possessorem hoc dotandi onus pertineat, ut sicuti sorores, ita & Apanagiatorum filias elocare teneatur. *Mylor. ad Rumel. p. 3. diff. 5. §. 14.* Quod autem non saltem Imperator, sed etiam inferiores Principes, Duces, Marchiones, Comites, Barones ac Nobiles ex consuetudine Germaniæ, pro maritandis filiabus, aut aliis necessitudine junctis, subditis collectas imponere

nere possint, id vero prolixè docet *Rœppen decis. 32.* sub hæc
quidem cautela, quod Imperator illud valeat simpliciter,
reliqui vero tunc demum, cum ad hoc specialiter sunt pri-
vilegiati, aut consuetudine immemoriali, vel etiam con-
ventione hoc jus acquisiverunt. Sic sæpe expressè cautum
legimus, quantum ejusmodi foeminae illustres dotis nomi-
ne accipere debeant, v. g. in *Württembergischen Landtags
Abschied* filiabus ipsiq; Primogeniti 32000. floreni Rhenen-
ses, ultrogenitorum filiabus verò 20000. aurei definiti
sunt. Item in Electoris Alberti Brandenburgici disposi-
tione Anno 1473. hæc leguntur verba: *Daß derselbe (Pri-
mogenitus) der andern abgegangenen Töchter alle/ die
sie hinter ihnen verlassen würden/ berathen und besteu-
ren solle/ als ob sie seine leibliche Töchter wären.* Sed quic-
quid & in hoc puncto dictum est, accipiendum erit de A-
panagio Proprio, & eatenus, quatenus per alia specialiora,
in qualibet regione recepta non receditur, quæ apprimè at-
tenda esse, sæpius monet *Klockius in tr. absolutò de Contribut.*
Cæterum ut paucis multa complectar, neq; opus habeam,
ut singula Regalia percurram, quibus Apanagiati in Apana-
giò Proprio ob defectum superioritatis territorialis regu-
lariter destituti sunt, sciendum est, quod Primogenitus in
Apanagiò proprio omnia Regalia solus exerceat, solus in-
vestituræ renovationem petat, (ita tamen, ut ubi Apanagia-
ti simul pro indivisò investiuntur, post mortem Primoge-
niti renovatione investituræ opus nõ fit, secus verò ubi tan-
tùm eventualiter investiuntur.) solus in omnibus actibus
publicis, in quibus de Familiæ commodò aut præjudiciò
agitur, appareat, ita tamen, ut reliquos fratres repræsentet,
& eorum nomine simul peragenda peragat. *Vid. Limn. Lib.
9. c. 1. n. 53.* Apanagiati tamen in nostris terris nihilominus
digni-

dignitatis titulum gestant, licet alibi Familiae saltem titulo debeant esse contenti, uti de utrisq; affert testimonia *Springsf. c. 11. n. 81. seqq.*

§. IV. De Apanagiatis illis, qui sunt in Imperio nostro speciatim quaeri solet, an inter Status istius sint numerandi? Putare quis posset, quod sic (1) Quia in tabulis Imperii ac matricula continentur, ubi omnes Status recitantur, sicut autem Matricula militem, aut cohortalem *L. 10. C. de Cohort. al.* item civem ac studiosum arguit; ita etiam Matricula Imperii statum, inquit *Mylerus ad Rumel. p. 1. diff. 1. §. 12. (2)* Quia ad collationes Imperiales sive collectas contribunt: Secundum naturam autem est, eum, quem sequuntur incommoda, sentire quoq; commoda *L. 10. de R. J. (3)* Quia possident territoria immediatè ad Imperium pertinentia, vel certè nullum aliud forum competens habent, quam Cameram, ad quam non saltem, qui ad Clavum Republicae sedent, pertinent, sed etiam qui non sedent, unde etiam dicuntur *Gebührne Reichsfürsten Betf. de pact. Famil. illustr. c. 8. p. 436. 437.* Hæc enim requisita videtur desiderare *Gailius 1. observ. 21. n. 2.* ad Statum imperii, quando dicit: *Status Imperii vocamus eos, qui Caesaris & communi Procerum imperii consensu in Album seu Matricem, aut Matriculam Imperii recipiuntur, eâ lege, ut Imperio, occurrente necessitate, certum censum, in albò sive matriculâ expressum, pensitent, vel subsidium militare præstent: & hi alium superiorem quam Cæsarem non recognoscunt.* Sed nondum hæc exhaustire dixerim necessariam veri Status essentiam, cum character ejus

An Apanagiati sint Status Imperii?

*Nobiles im-
mediati.*

ius consistat potius in jure sedendi in comitiis, atq; votum
decisivum sive suffragium ferendi. Nam quod primò ad
matriculam attinet, verum equidem est, quod qui non in-
venitur in Matricula, non sit Status Imperii, sed non con-
tra: cum multos etiam Non-Status contineat. Imo ne-
quidem perfectam Matriculam adhuc habemus, sed de re-
novanda eà cautum est in *J. P. tit. 8. §. Habeantur &c.* De-
inde secundò Collectæ Imperiales non Statum, sed Mem-
brum Imperii tributarium arguunt. Nam v. g. Hunga-
riæ quondam ac Poloniae Principes tributum Imperio per-
solverunt, nec tamen exinde Imperii Status facti sunt. Sic
etiam Nobiles immediati non minus interdum Imperio
immediatè subsidium conferunt, nec tamen ideo Status
characterem accipiunt. Deniq; neq; tertio constituit Sta-
tum immedietas Imperialis, quod itidem dicti Nobiles
immediati probant, quales sunt Rhenani, Franconici &
Svevici, qui characterem Status amiserunt quidem, sed non
immediatatem. Dico amiserunt, quia illud ante hac à se-
culo XIII. tempore ruinæ Hohenstauffianorum usq; ad
tempora Friderici III. Sec. XV. habuerunt, ubi deinde, quod
onera Imperii sustinere nollent, amiserunt. Siquidem
post illud tempus nullum amplius illorum Juris vestigium
certum occurrit. Non obstante Pacificatione Maximilia-
ni I. Anno 1495. in fine §. hierbey ic. & R. J. de Anno 1542.
§. dergleichen wie icht & seq. Nam ex subscriptione in-
dubitatum illorum jus posset elucescere, quæ tamen post
dicta tempora invenitur nulla. *Conf. Rumel. ad A. B. part.*
1. Diff. 1. §. 12. Imo licet hi Nobiles non amplius sint Status
Imperii, Corpora tamen omnia Nobilium ab iis separari
non posse, demonstrat *Schweder. introd. in J. P. p. special.*
sect. 2. cap. 18. §. 6. Rem omnem decedit R. J. de Anno 1564.
§. 110

s. Und wollen wir / als Römischer Kayser / gegen de-
nen / so nicht Stände des Heil. Reichs / iedoch dem Heil.
Reich immediate unterworffen. Ergo Apanagiati non
erunt Status Imperii, quia non habent ea jura, quæ intrinse-
cus denotant potestatem super Imperio deliberandi *Limn.*
de J.P. Lib. 9. c. 1. n. 53. Nisi forte subsit Apanagium Impro-
prium, in quò ex conventione jus voti ac sessionis in Comi-
tiis competat, ubi tamen non viritim, sed conjunctim cum
Primogenito suffragantur, & quidem impensis hujus
Springsf. de votor. Major. part. 2. c. 8. Dicas: non potest
character veri Status in jure deliberandi & suffragandi con-
sistere, idq; velided, quod Rex Bohemæ indubitato inter
Status numeretur (est enim inter seculares primus Elector
A.B.c. 4. §. 3. conf. Strauch. diss. ex J.P. 2. thes. n. seqq.) qui ta-
men hodiè ad comitia Universalia non venit (non obst. *A.*
B. c. 12. pr. §. 2. Decret. Carol. IV. quod extat apud Frebe-
rum de legit. Tutor: observantia enim hodierna rem deci-
dit) sed saltem ad ea, quæ novi Imperatoris eligendi causâ
instituantur *Limn. add. ad Lib. 3. c. 8. n. 1. §. in Prolog. ad Cap.*
sect. 4. n. 3. Verum hoc est ex peculiari privilegio, & præter
regulam, quod se non teneatur immiscere curis, quas flagi-
tat Imperii Status. *R. I. de A. 1548. §. Ob nun gleich ic.* Licet
penitus non possit negari, auctoritati hujus Regni nonni-
hil exinde decedere apud nonnullos. Interim tamen cer-
tum est, quod Rex Bohemæ propterea Status Imperii esse
non desinat, cum ad essentiam Civis non requiratur, ut
omnibus de Republica deliberationibus intersit, sed suf-
ficiat, si ad præcipuas vocetur, quod huic Regi contingit,
prout dictum. Neque movet, si dicas, hunc Regem nequi-
dem ad illos conventus semper vocatum esse, ubi de eligen-
do Romanorum Rege actum est: id quod obtigit tempore

Cur Rex Bo-
hemie non
veniat ad
omnia comi-
tia?

117

Imperatoris Friderici III. Anno 1486. Nam id factum est
in casu extraordinario, & quo ille Rex commodè vocari
non poterat. Cum enim Electores eò tempore propter
negotia Imperii, alia tamen, quam electionem Regis Ro-
manorum concernentia, Franckofurti convenissent, & in-
ter consultandum certis ex causis utile visum fuisset, Ro-
manorum Regem propediem eligi, factum est, ut Rex Bo-
hemiæ, temporis redimendi causâ, & ad excludendam mo-
ram non potuerit vocari. Sed cur hoc non factum sit, i-
psum Electorum eloquitur effatum; **Daß solch nicht For-
derung des Königs in Böhmen zur Wahl nicht in Ber-
achtung/oder abbruch seiner Königlichen Würde/ Ehr-
und Gerechtigkeit/ sondern allein auß zufälligen Sa-
chen in der Eyl beschehen.** Cæterum habent Reges Bo-
hemiæ ex redintegrata Electorum obligatione, Anno 1489.
initâ, hoc peculiare, ut, si ad Electionem Regis Romanorum
non vocentur, à cæteris Electoribus, quorum consensu Ele-
ctio facta est, quingentas marcas auri 500. **Marckgoldes**
modo & conditionibus in dicta obligatione initis, exigere
possint. *Confer. Galdast. in Reichs-sagungen p. 2. pag. 178.*
Et certè præterea constat, quod licet Elector aliquis ad Ele-
ctionem novi Regis non vocetur, neq; ipse suâ sponte ve-
niat, nihilominus veniendi jus habeat & retineat, vocatur
enim ab ipsa Lege uti habetur in *A. B. c. 1. §. 19. v. quod si-*
dem Archiepiscopus. Conf. Limn. ad Capitul. Ferdinandi III.
art. 50. v. der güldenen Bull. Cæterum varia variorum
argumenta pro & contra Regem Bohemiæ, quoad hoc jus
adducta, videri possunt apud *Carpz. de L. R. G. c. 5. sect. 8.*
Si autem Apanagiati Imperii membra regnantia non sunt,
sequitur quod à Circularibus Conventibus regulariter sint
exclusi. Dico regulariter, quia aliàs hæc ratio universalis
non est, docente *Mylero de Stat. Imper. c. 12.*

§. V. Se-

§. V. Separatim nunc videbimus, an Apanagiati gaudeant jure Austregarum. Austregæ dictæ sunt à voce germanica *Austragen* / weil nehmlich etliche dem Heil. Reich ohne Mittel unterworffene Glieder ihre zusammen habende irrungen / gegen einander rechtlichen außtragen / entscheiden / benlegen / und vergleichen. Sunt itaq; Austregæ nihil aliud, quam certi Judices, ex Lege Imperii, aut aliò debitò modò electi, ut lites Civiles (an & criminales, de eo adhuc disceptant Dd. *vid. Limm. de J. P. lib. 9. c. 5. n. 63. seqq.*) inter Imperii immediatos ortas, terminent ac decidant. Nempe ne Camera tot oneretur causis, & ut Principes pares sibi habeant judices, introductum est, ut lites inter Imperii immediatos in prima instantia ad Judicium Austregarum referantur, à quo deinde ad Cameram plerumq; appellare licet *Ord. Camer. part. 2. t. 2. §. Darauff ic. junct. part. 2. tit. 28.* Quomodo autem hac in parte procedatur, describit ex d. *Ord. Cam. p. 2. t. 2. Limm. de J. P. lib. 9. c. 5. n. 18. seqq.* Cæterum ipsæ Austregæ sunt duplicis generis; aliæ dicuntur *Imperiales*, des Heil. Römischen Reichs *Austräge* / aliæ *Particulares* sive Familix *Stam außträge* / *Gewillkürte* oder besondere *Austräge*: Illæ ex generali dispositione Imperialium Decretorum dependent, hæ vero à familiis peculiare constituantur per speciales conventiones: *Vid. divisio paterna FridERICI, Electoris Brandenburgici, Anno 1437. nec non ALBRECHTI ejusdem Electoris, Anno 1473. it. Austrega Conventionales Saxonice, Numburgi facte Anno 1554.* Jam quæritur, an, & quibus Austregis fruatur Apanagiati? Ut distinctè respondeatur, tres discerno casus: Aut quæstio est de litibus ipsius Apanagii, aut

an Apanagiati gaudeant jure Austregarum?

an Apanagiati gaudeant jure Austregarum?

an de bojan Apanagiati adversus tertium Austregarum ju-
regaudeant, & non statim ad Cameram confugere necesse
habeant, aut deniq; de eo, an iidem Apanagiati Austrega-
rum iudices eligi possint? Quod ad primum attinet, ces-
sant in eo Austregæ Imperiales, ubi causæ alimentorum, ad
quas Apanagia reducuntur, non ventilantur, teste *Schub-*
bards de Austr. part. 2. c. 9. n. 29. Austregæ autem familiæ
in eodem locum habebunt, nisi specialis ad sit exceptio. Sed
quid de Compromisso erit dicendum, quod cum his Au-
stregis affinitatem quandam habet, poteritne Apanagii
causa eidem subijci? Respondetur, decisionem esse in
propatulo: Nemo potest compromittere, nisi qui & alie-
nandi habet facultatem arg. *c. 5. X. de arbitr.* Apanagia-
tus non potest alienare, prout supra dictum est; Ergo neq;
compromittere poterit. Ex quo etiam simul intelligun-
tur exceptiones, quæ in hoc passu attendendæ sunt, nempe
si lis est saltem de quantitate Apanagii, aut Domini vel Pri-
mogeniti accedat consensus *Matth. de Afflict. de Feud. p.*
m. 708. n. 24. seqq. ubi de hac quæstione pro & contra proli-
xè differit. Ad secundum casum præsupponimus, eum,
contra quem lis agitur, esse Imperii immediatum, & tunc
statuimus, Apanagiatum & Imperialium, & Familiæ Austre-
garum beneficio frui, licet alias pro diversitate rerum alia
quoq; competant remedia *vid. Limn. d. l. n. 19. seqq.* Si qui-
dem aliquoties jam asseruimus, Principes Apanagiatos Im-
perio immediatè subesse, & primam instantiam habere in
Camerâ, ex quo concluditur, secundum Ord. Cam. part. 2.
t. 2. seqq. jus Austregarum ad eosdem quoq; pertinere. Et
quamvis bona immediata non habeant, notum tamen est,
quod Austregarum privilegium sit personale, non reale, &
sic in ipsa persona radicetur. Probè tamen observandum
hic

An Apana-
giati possint
compromit-
tere?

hic est, quod nuda immedietas non sufficiat ad Jus Austre-
garum inferendum, nisi simul litigantes statim in prima in-
stantia ad Cameram pertineant. Si quidem Civitatibus
Imperialibus Austregas Imperiales non competere regula-
riter, multis docet *Limn. d. l. n. 16. 17.* Ad tertium deni-
que casum distingvendum iterum erit inter Austregas Im-
periales & Particulares: De his affirmatur quæstio, de illis
negatur, cum *d. Ord. Cam. p. 2. l. 2.* expressè requirat Princi-
pes regnantes. Sunt enim Austregæ strictissimi juris,
nec possunt extendi de casu expresso ad casum non expres-
sum *Wehn. obs. Pract. Voc. Austrag.* Fallere tamen hoc
vult Springsf. c. ii. n. 156. partim in Apanagio Improprio,
partim ibi, ubi Electores vel Principes ab inferioribus
conveniuntur, per *Abschied des Deputation- Tags zu
Speyer Anno 1600. §. und nach dem die Ungleichheit.*

§. VI. Nunc ad reliqua pergendum erit Apanagiato-
rum jura, quibus in terris, Apanagiò affectis, vel etiam aliàs
gaudent. Ne autem simus prolixiores, contrahemus vela, &
per indicem quasi indigitabimus, quanam potiora adhuc
restent privilegia, quibus Apanagiati gaudeant. Sunt au-
tem illa hæc fere: (1) Jus denegandi collectarum imposi-
tionem in Apanagio, nisi loci consuetudo, aut conventio-
nes in ita aliud ferant. Nam collectæ ex alimentis, quo-
rum naturam Apanagium habere dictum jam est, non præ-
stantur. *Surd. de alim. l. 8. q. 92. n. 4.* (2) Immunitas à præ-
statione Adohæ. Vox Adohæ est barbara, & usurpatur in Ju-
re Feudali ab interpretibus pro adjuvamento illo, quod
Vasalli dominis suis, loco personalis adstantiæ, tempore
belli exhibent regulariter, nam interdum singulis annis
tam in roga, quam in sago ex feudo quid præstandum est,
quod docebunt speciales investituræ, uti tale servitium mi-
litare

*Ex Apanagio
non debentur
collectæ.*

Neg. Adoha.

litare in Jure Feudali communi ad dimidium fructuum
Feudi unius anni æstimatur 2. F 55. §. 1. In Saxonia verò
nostra & alibi mittantur die Ritterpferde (qui deinde bel-
lò finito reversi ad eos, qui miserunt, in quantum de jure re-
mitti debent) & quidem pro more usitatò, denn bisweil-
en hat ein Feudum pro onere tali nur ein Hufeisen/
bisweilen zwey/bisweilen ein halbes Pferd / bisweilen
auch 2. 3. und mehr Pferde. Unus equus autem 1000.
floreus æstimari solet. *Wehn. Obs. Pract. voc. Ritterdien-
ste.* Et sic differt ista Adoha à Relevio, sive Laudemio,
quod in recognitionem Domini vel obsequii datur, *Lehn-
Wahr / Lehn-Geld. Struv. Synt. J. F. c. 10. aph. 12.* Ab
hujus Adohæ itaq; præstatione exemptus est Apanagiatus,
propterea, quod præstetur illa in perpetuam Feudi utilita-
tem, & sic ejus naturæ fit, ut gravet Primogenitum. *Matth.
de Afflict. decis. 252.* Ubi ex eodem fundamento pro hac
sententia deponit, sicuti etiam ita allegatur à *Springfsf. c. 11.
n. 216.* Quamvis idem Afflict. sibi videatur contrarius:
Sic enim inquit in *Comment. F. p. m. 707. n. 18.* quando
imponitur Adoha in regno, fratres minores, quibus præ-
statur vita & militia, debent cõtribuere in solutione Adohæ.
Potissimæ ejus rationes sunt, quod onera, quæ imponuntur
personæ pro prædio, pertineant ad usufructuarium, it: quod
de jure communi æs alienum imminuat legitimam, cujus
locum subintrare Apanagium, supra diximus; item quod
usufructuarius teneatur solvere tributum & collectas
Fisco, pro re, in qua habet Usufructum; item, quod Adoha
non habeat perpetuam feudi utilitatem, cum tamen puta-
rit contrarium in d. decision: Ubi etiam in f. præjudicium
allegat, quo hæc quæstio suspensa fuit, quod nullus Dd. an-
te hac eam tetigerit. Cæterum cui hoc in passu relicta sit
electio;

electio, inter Adoha nempe praestationem, & personalem
adistentiam, utrum pertineat ad Dominum, an ad Vasal-
lum, de eo dissentiunt interpretes, quorum alii partes Do-
mini, alii Vasalli defendunt. Nos putamus ante omnia
observandas esse consuetudines locorum, pacta & similia,
quibus non existentibus, Vasallo competere electionem ar-
bitramur per *L. 10. §. 6. de Jur. dot.* modo non sublit summæ
necessitatis vis, vel alia specialis ratio. *Conf. Jacob. de S. Ge-
org. et Feud. p. m. 462. n. 26. Dissent. Matth. de Afflict. d. decis.*

n. 2. inf. (3) Immunitas à collationis necessitate. Notum
est, quod liberi, quando parentibus ab intestato succedunt,
teneantur prius regulariter in hereditatem conferre, quod
vivi adhuc parentibus praecipuarunt *vid. t. t. de Collat.*
Sed ut idem faciant Apanagiati, ad hoc non sunt obstricti,
cum collatio tum demum locum habeat, quando hereditas
paterna inter legitimos heredes dividenda est: Apanagium
autem non per modum divisionis, sed provisionis consti-
tur jam in cap. i. ostensum est. (4) Exemptio à Sequestratione
& Arrestationis gravamine: habet enim hoc analogiam
quandam cum Executione *Moll. p. 1. c. 29. n. 13.* executio au-
tem in bona alimentis destinata fieri non potest *L. 33. L. ult.*
de reb. auct. jud. possid. Berlich. p. r. conclus. 74. n. 43. 44. nisi
ubi consuetudo aut statutum aliud svadeat.

§. VII. Hæc ferè sunt privilegia illa ac immunitates,
quibus Apanagiati muniti sunt, & si quæ forte his similia oc-
currunt, non erit difficile, de iisdem simile ferre iudicium:
ea tamen, quæ aliam fovent rationem, aliter quoque & in
contrariam partem decidenda erunt, v. g. si moritur Apa-
nagiatus, nulli Collaterales ex successorio edicto regulari-
ter (exceptiones enim hic utique sunt notandæ, qui quidem
non tam demonstrari, quam ex LL. regni addisci possunt)

*Apanagiati
non confe-
runt.*

*Apanagium
non potest
arrestari aut
sequestrari.*

*Quæ jura
Apanagiati
non habeant.*

ad

ad successionem admittuntur, sed Apanagium cum Dom-
nio consolidatur, ita quidem, ut neque Falcidia, neque Tre-
bellianica locum habeat. Ita quoque exclusi sunt Apana-
giati in Apanagio proprio ab omnibus bonis allodialibus, &
thesauris paternis, item non possunt desiderare, ut res alie-
num, quod contraxerunt, vel à Primogenito, vel ab Ordini-
bus Provincialibus exsolvatur, nisi illud precibus blandisq;
verbis obtineant, quo in casu etiam Reversales dare soliti
sunt, ne ex precario in similibus casibus jus stringens effin-
gatur. Itē si fortē capiuntur in bello, non possunt imperare,
ut redimantur sumtibus alienis. Quia hoc onus subditis
duntaxat incumbit, quales Apanagiatos, quia tales, non ha-
bere, ex denegatione Homagii supra apposuimus. Item
Apanagiatorum Ministri ac Consilarii non iisdem gaudent
privilegiis, quibus muniti sunt Primogeniti ministri, nisi
consuetudo aut conniventia Primogeniti diversum appro-
bet. *Springsf. c. 11. n. 234. seqq.*

§. VIII. Ad finem deniq; sciendum est, evanescere
quandocumq; Apanagiatorum jura, adeo, ut ab ulteriori perce-
ptione eorundem penitus sint exclusi. Fit autem hoc
potissimum (1) ob crimen læsæ Majestatis, vel quasi:
quando in superiorem, si quem habent, aut sceptrum tenen-
tem deliquerunt, aut perduellionem suscitaverunt. Supra
quidem c. 2. §. 7. n. 5. varia adducta sunt delicta, propter quæ
Primogeniti à successione excluduntur, quæ tamen omnia
ad Apanagiatos non pertinere arbitramur, cum, tanquam
alimenta saltem percipientes, ad ea non teneantur, ad quæ
sunt adstricti Primogeniti. Hinc m. h. l. crimen læsæ tan-
tum aut quasi nominatur. Ubi tamen iterum contra com-
munis juris dispositionem L. 5. C. ad L. Jul. Maj. ex peculiari
conniventia liberis delinquentis alimenta necessaria relin-
quuntur

*Quibus mo-
dis Apana-
gium amit-
tatur.*

quuntur *vid. R. I. zu Erfurt de An. 1567. §. wie wohl nun*
hierauff inf. & quod residuum est, cum Domanio consoli-
datur. Imo interdum etiam ipsis delinquentibus non in-
tegrum Apanagium, sed saltem pars ejus aufertur. Vid. Cbro-
mer. in Cron. Polon. Lib. 5. in Boleslao III. interdum etiam re-
stituuntur in integrum: quod si fiat plenarie, medii etiam
temporis fructus recuperabunt. Cæterum si quæras, an
iple Primogenitus, si fortè in eum deliquit Apanagiatus,
hanc pœnam imponere possit? Respondemus, quod non,
sed dicimus potius, quod res in judicio Austregarum, aut ab
alio competente judice decidi debeat. Nemo enim sibi i-
psi jus dicere potest t. t. C. ne quis in causa prop. (2.) Ob re-
nunciationem factam: Hæc enim redunire solet Apanagi-
um cum Domanio vel Regno, reliquorum vero fratrum
portionem per jus accrescendi non auget, cum ob simili-
tudinem, quam Apanagium cum usufructu habet, jus tale
alteri cedi nequeat. Si autem liberi adsunt, tunc iisdem
debita alimenta non poterunt denegari: quoniam, uti
supra diximus, Apanagia ideo constituuntur, ne ex familiis
illustribus nati minus convenienter vivere necesse habe-
ant. Hinc etiam est, ut si forte cœlebs renunciet, licet eò
tempore propositum abstinendi à matrimonio habeat, vel
etiam expressè promittat, quod nolit uxorem ducere, ipsa
tamen renunciatio censeatur quodammodo conditiona-
lis, si liberos non suscipiat, quibus receptis, nullas habet vi-
res renunciatio, aut, si bonis se jam abdicaverit, rescinditur,
argum. L. 2. f. L. 3. de in diem addict. Item argumento in offi-
ciosa donatione L. 1. 2. 3. 5. 8. C. de in off. donat. Quamvis non
ignoremus sorti quoq; & arbitrio virginis nonnunquam
conjugia fuisse commissa. vid. Mynster Cosmograph. lib. 3. c.
4. 17. quippe hic loquimur de eo, quod fieri debet, non de
eo, quod interdum fieri solet. Matrimonia enim debent
esse liberrima, neq; ob talem renunciationem prohiberi.
Sed quicquid hæcenus dictum est, ad liberos adoptivos non

poterit accommodari, cum illi ad familiam Apanagium constituentis, aut exhibentis hoc casu non pertineant. Cæterum ad renunciacionem potest etiam referri pactum de non petendo, ubi quæri solet, utrum tale pactum sit Personale, an Reale, an Mixtum, hoc est, utrum tantum ad Primogenitum paciscentem extendatur, qui petentem exceptione repellere potest, an etiam si forte ille Primogenitus moriatur, reliquis successoribus prosit? vel etiam an Apanagiatum paciscentis liberi à petitione repellantur? Respondetur, quod ad hos ultimos pertinet, dicendum esse, quod eis pactum Parentis obesse non possit, quoniam hanc provisionem non ex bonis illius, sed ex avita dispositione & Lege regni habent, quibus sine facto suo privari nequeunt, ne in familiæ dedecus sordidè vivere cogantur. Ad priores autem videndum erit, quid inter eos sit conventum; si enim simpliciter pacti sunt, ne petatur, fortè ex causa, ne familiæ patrimonium nimis diminuatur, tunc ne quidem à successoribus exigere quid poterit; si vero ita consenserunt, ne à Primogenito petatur, successores ejus per exceptionem sese defendere nequeunt, per *L. 7. §. 8. de Pact.* Haud equidem diffitemur, quod onus exhibendi Apanagium sit Reale, quin tamen circa illud pactum Personale fieri possit, non dubitamus. *Vid. Springsf. c. 13. n. 21. seqq.*

An Apanagium præscribatur?

§. IX. Sed quid erit statuendum de Præscriptione, annon illa sufficiens erit ad excludendum ab Apanagii perceptione? Quod affirmandum esse primò intuitu videtur, cum non saltem actioni ad supplementum Legitimæ intra 30. annos (non intra quinquennium, *vid. Mynf. 2. obs. 71. Gail. 2. obs. 120. n. 5. seqq. Manzius de Legit. q. 61.*) & juri ipsam Legitimam petendi intra dictum temporis spatium præscribatur, *Manz. d. L. q. 55.* Jam verò Apanagium in locum legitimæ surrogatum esse, aliquoties concessimus. Surrogatum autem induit naturam ejus, cui surrogatur. Verum hoc non obstante, nullam hic sibi vindicare locum præscriptionem arbitramur: Apanagium enim habet similitudinem cum usufructu annuo, qui singulis annis redintegratur, ac propterea præscriptio à singulis annis esset denuo inchoanda. Et hæc causa est, cur statuat Springsfeldius

dius, Apanagium ipsum quidem non posse praescriptione tolli, bene
tamen redditus, ex Apanagio perceptos. Sed intra quod tempus hi
praescribuntur redditus? Putat dict. Springsf. intra 30. annorum spa-
tium, factio initio a quolibet anno praescribendo, quae tamen senten-
tia exinde mihi relinquit dubium, quod Apanagii praestatio onus sit
reale, prout dictum, & propterea non potest peti per actionem
personalem, sed realem, cui ex dispositione Juris Romani 20. annis
praescribitur, *L. 3. C. de Praescript. L. 1. C. de Praesc. 30. vel. 40. anno.*
Ac proinde statuerem quod huic actioni, ad exemplum Confessoriae
intra 20. & non 30. annos praescribatur. In foro tamen Saxoni-
co, & ubi Jus Sax. viget, praescriptioni longi & longissimi tempo-
ris respondet praescriptio tricennalis, quae 31. annis 6. Septimanis &
3. diebus, *Binnen dreßßig Jahr / Jahr und Tag / omnia jura &*
actiones praescribuntur Lib. 1. Landr. art. 29. Struv. ad n. Exerc.
43. ib. 25.

S. X. Sufficiant haec: & sufficient, si & Te, Benevole lector,
benevolam censuram impetravero. Ea vero, quae non satis accu-
rate, & limatè deprehendes dicta, eruditione tua, quae polles,
supplebis. Interim sit

DEO HONOR ET GLORIA!



Ad Pereximum ac literatissimum

Dominum Johannem Gebhard Stiehl

Optimi Patris Filium Optimum,

Jurium Prolytam solertissimum,

cum de

Nobilissimam APANAGII materia

ex JURE PUBLICO

Publicè ac feliciter differeret.

Quid valeat paternarum Virtutum amulatio, quae ad, ei
vis & efficacia sit tribuenda, vel proprio Tuò, MI STIEHLI
amicissime, unà cum Fratre natu majori. Juvene iridem ad
summa quaeque contendente, comprobas exemplo. A tenore
etenim annis Studiis liberalium artium conseratus cum esses, summam
ope

ope & alacri semper vigilantia studioq; (ut verbis utar Justiniani no-
 stri) Te una cum Fratre Optime indolis sic eruditum ostendisti, ut spe-
 jam Vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfectio, posse Pa-
 triam aliquando Remp. in partibus ejus vobis credendis, ad exemplum
 Nobilissimi Parentis, gubernari. Nec meum quidem hac in re judi-
 cium fallax, vel Testimonium forte ideo pro domestico & suspecto esti-
 mari poterit, quod hac, qua jam de Te, tuaq; fortuna auguror, vel
 amicitia, qua mihi cum Parente Optimo Tuo haecenus intercessit in-
 teritu, vel blanda alicujus benevolentia captanda causa scribam, cum
 Universa nostra Academia, & docentium pariter, quam discipulorum
 ordo eruditus de diligentia & solertia tua, quam in Studiis tam pri-
 vatim, quam publice adhibes, testis sit omni exceptione Major. Nil
 jam ego porro nisi pium annecto Votum, Faxit caeleste Numen, ut ita
 feliciter in Stadio literarum cepto porro currere non desistas unquam
 sed vestigiis CONSULTISSIMI DNI. Patris insistens, in salutem Pa-
 tria, & Nobilissime Tuae familiae splendorem crescas: & quondam
 Reipublica literaria decus sis ac ornamentum. Quod Tibi Tuisq; ex
 animo precor voveoq;. Dabam inter summas occupationes festi-
 nanti calamo e Museo Wirteb. 15. Martii A. O. R. M. DC LXXXIV.

Vernerus Theodorus Martini, D.

~~~~~  
 Sic Juvat alternis doctè certare Camœnis,  
 Ut studeas Themidis penetralia visere sacra.  
 Delectet reliquos virtuti inimica voluptas,  
 Collaudat Tua facta cohors Heliconia Phoebi.

Gratulabundus scribebas

HEINRICUS LOESER

Eqves Misnicus.

~~~~~  
 Quam sit jucundum Themidi servire benigne,
 Exemplò vivo, Dulcis Amice, probas.
 Solvere dum tentas nodos in Jure latentes,
 Testem das studii, das specimenq; tui.
 Perg. bonis Musis attentus semper adesse,
 Non sine laude tuus, cederet, eritq; labor.

C. à MILTIZ

Eq. Misn.


ULB Halle
006 682 006

3



VDA





B.I.G.

Farbkarte #13

1684⁹
 B. V.
 JURIDICA
 NAGIO,
 inclytæ Facultatis
 enbergensis,
 SIDIO
 ELLENTISSIMI, AM-
 SULTISSIMI,
 ERITHEO-
 RTINI,
 Leucoreâ longe Celeberr-
 riæ Provincialis, Consistorii Eccle-
 altatis, nec non Judicii Ducalis,
 æ inferioris est, Assessoris
 ni &c.
 SUI HONORATISSIMI,
 co proponit
 TOR
 rdt Stiehl/
 DUCTORUM
 artii 1684.
 BERGÆ,
 NIS WILCKII.

